M. LUDOVICI MELCHIORIS FISCHLINI
Ministri Stuttgardiani

SUPPLEMENTA,
AD
MEMORIAS
THEOLOGORUM WIRTEMBERGENSIUM,
Quibus
HISTORIA ECCLESIASTICA WIRTEMBERGIÆ ET MONTISPELIGARDI,
Productis
Diversorum Theologorum Joh. Brentii, Val. Vannii, Martini Frechti, Ægidii Hunnii, Joh. Assumi, Andr. Osiandri, &c. literis antehac nondum editis; aliisque Actis & documentis memorabilibus illustratur,
Cum nonnullis
Vindiciis pro Innocentia Wirtembergica B. A. D. Caroli.

ULMÆ,
Sumptibus GEORGII WILHELMI Kühnen/
Bibliop. Anno M. DCC. X.

B. L.

NOn infrequens eſt Scriptoribus, præſertim Hiſtoricis, ut operibus ſuis ſcholia, ſupplementa, paralipomena, mantiſſas, additiones, hypomnemata & quæ alia ſunt ejus generis ſubjiciant, quibus ea quæ parcius antea ſcripſerant, illuſtrant aut diducunt, vel, quæ penitus omiſerant, ſubnectunt. Ita Illuſtris Baro de Seckendorff, non Saxoniæ tantum, ſed & univerſæ Lutheranæ Eccleſiæ Decus, inclyto Hiſtoriæ ſuæ Operi additiones quam plurimas cum ſupplementis inſeruit. Guilielmus Caveus, celebris Anglus, Scriptores Eccleſiaſticos quos Parte primâ Hiſtoriæ Literariæ jamdum recenſuerat, in ſecundâ parte repetitos novis annotatis adaugere non dubitavit. Cumprimis vero Dominus D. Fechtius

Supplementum Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. cum Apparatu ad illuſtramentum Epiſtolarum Marbachianarum pertinente, orbi literato communicavit. Nemo igitur eruditorum, uti ſpero, vitio vertet, quod & ipſe micas & fragmenta ad Hiſtoriam Ducatus Wirtembergici Eccleſiaſticam & Memorias Theologorum ſpectantia ſublegerim; Animus quidem erat peculiari opuſculo pleraque reſervare; ſed cum diverſis haud raro impedimentis ſufflaminentur humani conatus, neque vitam nobis vel in diem polliceri queamus mortales, tempori inſerviendum ratus, adverſaria mea tecum B. L. Supplementorum titulo communicare, iisque vitam mihi aut alteri ad Hiſtoriam patriæ Eccleſiaſticam ſternere ſatius duxi. Quâ occaſione Innocentiam Wirtembergicam ab A. D. Carolo, Kirche-Teccenſium Superattendente, piæ memoriæ, adverſus Godofredum Arnoldum defenſam, ſed à nupero Domini Arnoldi

Clien-

Cliente ficulneis exceptiunculis & cavillationibus oppugnatam, in transitu vindicavi, missis tamen partim (in der Histori. Betrachtung / P. II.) de industria, partim ob temporis brevitatem nonnullis, quæ vel à B. Carolo satis superq; sunt demonstrata, vel certè operæ pretium non sunt, ut de iis controvertatur, vel denique calumniandi pruritum latius exerendi ansam præbere poterant adversariis. Laudat alicubi Paulum Jovium, quasi eximium Historicum, Arnoldi assecla, & quidem in materiâ, quam ipse G. Arnoldus absque ullâ necessitate & posthabitâ omni modestiâ documentis suis ἀδ\εσπότοις infarcire sustinuit, cùm tamen, Thuano teste, Jovius homo gratiosus se passim obnoxium prodat, eoq; nomine ipsi in plerisque rebus fides derogetur, quod ad gratiam & in odium scripsisse & venalem calamum habuisse ferè omnibus persuasum sit. Imô ipse Jovius, cum aliquando interrogaretur, cur in hi-

 storiâ

storiâ suâ simularet falsa & vera dissimularet? amicorum gratiâ id fuisse factum respondit, & tametsi sciret, superstites suis scriptis fidem derogaturos posteritati tamen ea credibilia fore, quæ suis Italis laudem essent allatura, teste Bodino. vid. Pauli Freher. Theatr. p. m. 1454. Historicus certè (doctissimo Seckendorffio judice (a) si perpetuo præjudicio lectorem occupare nitatur, à viri boni officio longè recedit, & licet vera quandoque narret, fidem tamen minuit aut amittit. Hanc enim illi demum merentur, qui comperta sincerè tradunt, aut dubia idoneis argumentis firmant, non, qui nullâ necessitate malignum animum in culpandis accusandisque, quos oderunt, ante cognitam legitimè & decisam causam produnt. Hæc Annon in P. Jovium, ipsumque G. Arnoldum quadrent? aliis dijudicandum relinquimus.

Vale!

(a) *Hist. Luther. p. m. 15. 16.*

SUPPLEMENTA.

Ad p. 2. Part. I.

De Syngrammate.

§. 1.

PRimum Ecclesiæ repurgatæ & γνησίως Lutheranæ symbolum syngramma istud erat Halæ Suevorum concinnatum sequenti occasione. Publicaverat Zwinglius sententiam suam de S. Cœnâ in epistolâ ad Matthæum Aulberum, pastorem Reutlingensem Anno 1524. sed oppugnaverat eam epistolà Latinè & Germanicè, edita Joh. Bugenhagius Pomeranus. At An. 1525. mense Martio Zwinglius edito libello de verâ & falsâ religione, quem Francisco I. Galliæ Regi dedicavit, opinionem suam publicè tutari cepit, argumento à naturâ corporis Christi desumto, quod nec ut patibile, nec ut gloriosum, nec ut mysticum (quod esse dicit Ecclesiam,) præsens esse in Eucharistiâ possit. Mense Augusto eandem uberius explicavit, publicato tractatu, cui Subsidii *An. 1525.*

titulum fecit. Menſe Octobri Bugenhagio reſpondit. Conjunxit ſe ei Johannes Oecolampadius, Baſileæ docens, ita tamen, ut tropum quæreret in voce corpus, cum Zwinglius eum in voculâ eſt inveniſſe ſe exiſtimaret. Sed utramque explicationem ad unam redire contendit Zwinglius. Oecolampadius igitur, id quod ſermonibus publicis jam aliquo tempore propoſuerat, libello complexus eſt, de genuinâ verborum Chriſti: Hoc eſt corpus meum, ſententiâ, eumque fratribus, per Sueviam Chriſtum annunciantibus, inſcripſit, inter quos erant, qui eum Heidelbergæ docentem audiverant, contra opinionem verò ejus acriter jam inſurgebant. Convenere inde quatuordecim ex illis Concionatoribus Halæ Suevorum, & d. 12. Octobr. tractatum, quem Syngramma vocant, conſcripſere ſtylo, ut putatur, Joh. Brentii. Nihil cunctatus Oecolampadius Antiſyngramma ante finem anni emiſit. Lutherus Syngramma Suevotum à Bugenhagio Germanicè verſum approbavit præfatione, quâ Helvetios vehementer offendit. vid. Seckendorff. Lib. II. p. m. 34. 35. Syngrammatis hujus præcipui Authores fuere Jo. Brentius & Erhardus Snepfius. Neque id tantùm putatur, ſed certò conſtat de Brentio, cujus filius in Apologiâ pro Patre adornatâ perpetuò ad illud ſyngramma, tanquam Brentii confeſſionem primam de Evchariſtiâ, provocat. Ajebant enim Calviniani Brentiana Tyrocinia abfuiſſe ab opinione, quam ſenex & decrepitus, propè magis pertinacia quâdam, quàm maturo conſilio defenderit. At, reſpondet
» filius, vel unum ſyngramma ab hoc crimine il-
» lum liberat; quod ferè circa initia à Brentio con-

» ſcriptum,

scriptum, & à bonis & sinceris Theologis subscri- »
ptum fuit, vid. Respons. Brentii ad Calumnias Sa- »
cram. in præfat. Docet id etiam stylus & præsertim explicatio dicti Joh. 3. de aquâ & Spiritu, quæ in Syngrammate reperitur, eademque prorsus est cum illâ, quam in Exegesi Evang. Johannis propinat ipsi, ut videtur, peculiarem & propriam. Erhardum Snepfium tamen laboris, in conscribendo syngrammate socium fuisse affirmat Dominus Jo. Beyschlagius. Theologi verò qui subscripserunt, fuere sequentes; Jo. Lachmannus, Heilbronnensis, Erhardus Snepfius Wimpinensis, Bernhardus Grieblerus, Gemmingensis, Johannes Gaylingius, Ilsfeldensis, Martinus Germanus, Fixfeldensis, Joh. Gallus, Sulzfeldensis, Ulricus Schwiger, de Weissach, Wolffgangus Taurus de Orendsaal. Joh. Rudolphi Oeringensis, Joh. Valtensis, Jo. Isenmannus, Mich. Græterus & Jo. Brentius. vid. D. Valentini Lœscheri Histor. Motuum Relig. Calvin. & Zwinglian. P. I. p. m. 124. Illud scriptum publicum Oecolampadio missum, multoties recusum, ab ipso Cinglio allatratum, ab Oecolampadio arrosum, à Joanne Sapido irrisum, sed à nemine confutatum est. Sapidus iste, Sacramentarius Poëta, cum Syngramma videret, adscripsit;

Istud clarorum Lector Syngramma Virorum,
Certum magnorum tibi dat numerum fatuorum.

Istud Subjecit Joh. Gaylingius, (Theologus Veteranus & vir eruditissimus, D. Hermanni elogio) vel alius:

Dum Sapidus sapidum sese putat esse Poëtam
Desipit; & Sapido nil magis insipidum.

Vid. Hect. Abusig. Epist. Terentianam.

De Samio & De reformatione Ulmensi.

§. 2.

An. 1526. CUNRADUS SAMIUS, patriâ erat Wirtembergicus, natus in Roten-Acker/ nobili supra Ulmam ad Danubium Vico, ubi rupto An. 1709. per solutam glaciem ponte 24. homines interiere. Erat inter eos pater & filius, qui posterior jamjam ad ripam evaserat; Cui Pater: Ergone me deseres, fili? Minimè verò: respondit ille. Itaque in fluvium regressus & parenti suppetias laturus unâ cum ipso miserè submergitur. Sed hæc ἐν παρόδῳ. De Samio Cunradus Dietericus, in der Ulmischen Jubel-Predigt p. m. 14. 15. seq. digna memoratu refert: Unterdessen/ sunt ipsius verba, feyern die Ulmische Burger nicht/ sondern halten durch vier ihres Außschusses bey einen E. Rath um einen andern eigenen Prediger an/ und als sie solches auß GOttes sonderbahrer Gnade durch ein Raths-Decret erhalten/ ist anhero zu einem Evangelischen Prediger beruffen/ und

auf

auf vorgehende gehaltene drey unterschiedene Prob-Predigten auf Johannis Baptistæ 1524. angenommen und bestätiget worden Cunrad Sam / von Roten-Acker bürtig / welcher zu Brackenach (Brackenheim) im Würtemberger-Land ums Evangelii willen vertrieben worden. Dieser Kirchen aber neun Jahr lang im Predigt-Amt vorgestanden. Ihm ist erstmahls in der Barfüsser-Kirchen / nachmahls / weil wegen der Menge der Zuhörer der Ort zu eng / im Münster mit und neben den Päbstischen *Prædicanten* zu predigen gestattet und zugelassen worden / hat auch mit seiner Arbeit NB. im HErrn erwünschten Nutzen geschafft / dann die Zahl der Glaubigen unter ihme dermassen gewachsen / daß man ihme mehr Gehülffen am Wort und Mit-Prediger auf inständiges Anhalten der Bürger durch Bewilligung der Obrigkeit im Jahr 1526. zuordnen müssen / alsdann gewesen der obgedachte Johann Diepold / Prediger zu unserer Frauen vor dem Thor. Georg Schram / Hanß Weithals und Laux Schichting so samtlich das Papsithum verlassen / und zu dem Evangelio getretten / und haben der Schram und Weithals im Spital in der dürfftigen Stuben / Laux Schichting aber im Seelen-Hauß zu predigen angefangen. An Widersachern hat es dem Cunrad Samen auch nicht gemangelt / dann Er viel Zanckens mit den München und Pfaffen gehabt / hat sie aber alle ritterlich auß Gottes Wort gedämpffet; Sonderlich aber haben sich ihme hefftig wider-

setzt/und die Lehre deß Evangelii schändlich verlästert und verkätzert / ein Barfüsser Mönch der Winzeler genannt/ der im Jahr 1525. Peter Nestler / Leßmeister und Prediger im Prediger-Closter / so zuvor den Kettenbacher außgebissen / im Jahr 1526. Bruder Veit Kalteysen / der *Nicarius* und *Johannes Ulrici* von Kaysersberg im Jahr 1527. zur Stadt hinauß um ihres unbefugten Lästern willen verwisen worden. Da dann sonderlich zu mercken / als diesem Keysersberger auferlegt worden / seiner Lehr offentlich auf dem Rath-Hauß vor einen E. Rath am guten Montag nach *Laurentii* Rechenschafft zugeben / sich auch Cunrad Sam mit ihm in ein *Disputat* eingelegt / und hefftig mit der Schrifft auf ihn gedrungen / Er der Mönch endlich geantwortet / wann alles müste in der Bibel geschrieben stehen / so solls Er ihm anzeigen: Wo es in der Bibel stünde/daß Ulm eine Stadt seye? Um welcher groben ungereimten Rede willen dem München das Prediger-Handwerck durch ein Raths-*Decret* niedergelegt / und Er bald darauf fortgeschickt worden ꝛc. Cæterùm in quæstione cubat: Utrum Samius fuerit Cinglianus? Affirmat id Abrahamus Scultetus, suæ serviens causæ; & cum eo G. Arnoldus. Sed nos etiamnum negamus. Quamvis enim plena Ulmensis Ecclesiæ reformatio per Viros Cinglio faventiores, videlicet Oecolampadium, Bucerum, Blaurerum, Simpertum Memmingensem & Bartholomæum Biberacensem An. 1531. demum peracta sit, istos tamen, excepto Oecolampadio, tum

tempo-

temporis ex asse cum Cinglio nec sensisse nec docuisse tùm ipsorummet scripta, tùm historiæ illius temporis ostendunt. Bucerus certè diu hæsit. Blaurerus similiter. Distinguendum verò est probè inter Cinglii opiniones. Proprius namque character Cinglianismi est sententia de tropo in verbis Institutionis S. Cœnæ, uti doctissimè observavit Dominus Val. Loscherus Theol. D. & Superattendens Dresdensis celeberrimus in Historiâ Motuum Religionis. præf. Accidentariæ illius opiniones erant de Iconibus abolendis & tollendâ Communione privatâ; Quibus posterioribus diversi inter Theologos Sueviæ adstipulati sunt, tametsi in materiâ principali de S. Cœnâ nullatenus cum Cinglio, sed cum B. Luthero sentirent & loquerentur. Manifestum id redditur è diversis exemplis. Matthæus Aulberus, de quo postea, non erat Cinglianus in materiâ de S. Cœnâ, sed tamen quoad Imagines ab initio duriorem adoptabat sententiam, ut ex dicendis patebit. Martinus Frechtus erat ex asse Lutheri sententiæ de S. Cœnâ addictus; Neque tamen privatam Communionem ante annum 1544. introducere valuit in Ecclesiâ Ulmensi. Et hanc privatam Communionem Samius juxta reformationem supra dictorum Theologorum, Oecolampadii nempe, Buceri & reliquorum intermisit & intermittendam censuit. Ex quo tamen Cinglianum fuisse nondum probatur. Sanè Dietericus eum non adeò impensè laudâsset, si Cinglianum fuisse certò habuisset compertum; ne verbulo quidem Samio, sed Georgio Kellero, Cinglianismi in Ecclesiâ Ulmensi propugnati culpam adscribit. loc. cit. p. 21. Itaque si dicendum quod res

eſt, Theologi nonnulli ſub reformationis initium in quibusdam minus principalibus etiamnum fluctuârunt; Unde, ut fieri ſolet, nec B. Luthero, nec Cinglio in omnibus adhæſere, ſed eclecticos, ut hodiè vocant, egere; qualis etiam fuit Ambroſius Blaurerus. conf. illius Vitam P. I. p. 20. & Salomon Schradinus, Miniſter Eccleſiæ Reutlingenſis atque Aulberi Collega Quod ut manifeſtius evadat, ex Actis Reformationis Wirtembergicæ à Chr. Beſoldo, Apoſtata ex parte publicatis, narrationem ſubjungimus, etſi, ad Annum 1537. propriè pertineant.

Acta circa Reformationem Eccleſiæ Wirtembergicæ quoad Imagines.

§. 3.

INceſſerat Anno 1537. Ulricum Ducem, Wirtembergiæ Reformatorem ſcrupulus: Utrum Imagines, Altaria & id genus alia è Templis eſſent eliminanda nec ne? Illius igitur mandato convocati ſunt d. 10. Septembr. Uracum ſequentes Theologi, Erhardus Snepfius, Ambroſius Blaurerus, Johannes Brentius, Paulus Conſtantinus Phrygio, Matthæus Aulberus, Wenceslaus (cognomento Strauß) Paſtor Uracenſis, Caſparus Græter eo tempore Paſtor Herrenbergenſis, & Salomon Schradinus, Diaconus Reutlingenſis, qui in præſentiâ Nobilium & eximiorum Virorum Balthaſaris à Gült-

à Gültlingen, Johannis Conradi Thummii, Philippi Langii & Joannis Knoderi J. U. Doctorum & Consiliariorum quæstionem ventilarent & deciderent.

ERHARDUS SNEPFIUS, igitur primus sententiam dixit & provocavit partim ad ipsius Principis & Senatus Provincialis constitutionem, quâ jam Anno 1535. Imagines scandalosas removendas, scandalo autem carentes retinendas, decreverint. Quam ordinationem ipse & Martinus Mittelius, Stuttgardiæ secuti aliquas removerint. Idem Decretum in Præfecturis Ducatus passim esse promulgatum. Non tamen negari posse, quod Tubingæ, Herrenbergæ & Nürtingæ in Visitationibus institutis nonnulli sese opposuerint Zwinglii errore forsitan imbuti, qui erraverit, falsa docuerit, mundum totum seduxerit, nec scripturam intellexerit. Ambrosii Blaureri opinionem, quâ Imagines in hospitiis & ubique esse bonas, in templis duntaxat non tolerandas statuat, frivolam esse. Nam si simulacra mnemonevtica in Ecclesiis non sint toleranda, etiam Biblia non posse in templum apportari picturis illustrata. Quod si Imagines vitâ sensuque carentes sensus distrahere dicantur, multò magis id futurum per vivas. Cumque in templis docendum sit, veterum Philosophorum observationem esse: Quod demonstratio ocularis plus doceat; & Gregorium M. rectè judicâsse: Quod Pictura sit Laicorum Scriptura. Verendum insuper, ne Dominus Princeps Cinglianismi suspicionem apud alios incurrat. Quam ut amoliatur, satius esse nonnullas imaginum retinere. Provocavit tandem ad suam con-

ſcientiam nec ſe, ſi aliter concludatur, coram Deo aut conſcientia aut Concilio ejus rei rationem reddere poſſe. Snepfio in ſolidum adſtipulatus eſt Wenceslaus.

E contra Blaurerus ad argumenta Erh. Snepfii reſpondit, negans: Se Præfectis Tubingæ, Nürtingæ & Nyffæ præcepiſſe ut ſimulacra removerent. Absque dubio id feciſſe vel ex mandato Principis, vel quia noverint: Ducem è Sacello omnes in univerſum imagines ſuſtuliſſe. Cæterùm idem ſe ſentire quod imagines vivæ plus diſtrahant, quàm ſtatuæ. Enimverò illum qui Virgines aut veſtes contempletur in templo peccare. Conſcientiæ Snepfii ſuam opponere. Nec dubitare ſe, quin Status Evangelici in Concilio rationem reddere queant de hâc re utpote minori, cùm de gravioribus reſponſuri ſint.

Hiſce medium ſe intulit Jo. Brentius, miratus de Imaginibus diſputari, nec id diutius inter Snepfium & Blaurerum ferri debere judicavit. Idem ſenſit Paulus Conſtantinus Phrygio, ſe excuſans: Nullum ſe Idolum removiſſe. Præfectum id feciſſe juſſu Sereniſſimi. Num judicem agere debeat ipſe? ſe quidem neſcire. Hoc tamen ſcire: Imagines eſſe liberas. Quicquid igitur injunctum ipſi fuerit, facturum. Blaurerus interpolavit: ſe & Snepfium conſenſiſſe ab initio, ut unus alteri quid concederet. In hoc caſu ſi fieret, proficuum id futurum, ſed hoc ad Principem pertinere.

MATTHÆUS AULBERUS: Altaria & pictas tabulas idololatriæ, videlicet miſſæ, hactenus inſerviiſſe; nec ut monitoria ſigna fuiſſe profatur. Unde abolenda judicat, non tamen confeſtim propter

pter infirmos. Novem se annos Reitlingæ docuisse antequam ea sustulerit Magistratus.

CASPARUS GRÆTERUS: Se de Imaginibus parum ait solicitum. Hactenus concionibus annisum, ut eas ex cordibus ejiceret. Pertinere inter Adiaphora. Se quidem concionari posse tùm præsentibus, tùm absentibus illis. Mundis enim omnia esse munda, docente Paulo.

At enim Consiliarii Principis non contenti denuò sententiam dicere jubent unumquemque. Brentius igitur: Imagines scandalosas removeri posse à Magistratu concedit. Rationes tamen A. Blaureri infirmas pronunciat, cum necessitatem indicent. Se verò minimè hoc tempore consilium dare posse Principi, ut omnes Icones ejiciat. Alioqui rumorem iri sparsum: Necessariam esse Imaginum abolitionem & condemnari etiam hoc pacto Electorem Saxoniæ cùm aliis, quasi iniquè simulacra servarent. Dari Ecclesias, in quibus Decalogus haud amplius doceatur, quid futurum si imagines insuper eliminentur? Non futurum esse admonitionibus locum. Scholarum quoque causâ retinendas Imagines. Illarum quippe abolitione famam illicò passim increbituram, Wirtembergicos ad sectam Cinglii transiisse. Denique Juvenes coram Virginibus stare in templo vivas utique Imagines. Itaque si exanimes sint removendæ ex templis, etiam vivas non esse tolerandas.

ERHARDUS SNEPFIUS, perstat in sententiâ: Scandalosas debere tolli, reliquas non item

ex

rationibus jam adductis. Cui & Brentio aſſenſum præbet Wenceslaus.

MATTHÆUS AULBERUS: Imagines nec ex præcepto aut coactione aboleri, nec ut ad cultum divinum neceſſarias induci debere ait. Scandaloſas, mendaces, idololatricas ſcriptura deſtitutas ejiciendas. In Scripturâ fundatas & mnemoneuticas tolerari tamdiu poſſe, donec & ipſæ in ſcandalum ceſſerint, tùm non minùs eſſe amovendas. Cum eo fecit C. Græter & hanc rem utpote de rebus externis, arbitrio Principis reliquit.

A. BLAURERUS excipit: etiam non ſcandaloſas Imagines exturbare integrum eſſe, cum ſint liberæ & indifferentes. Nec præceptum à Deo datum eſſe, quo minus id fieri debeat.

Tandem M Schradinus ſubjecit: Cum imagines inter Adiophora pertineant, nec prohibitio extet; ideoque Principem ut Oeconomum fidelem etiam minus ſcandaloſas extrudere poſſe. Nec expectandum eſſe, usque dum Infans ſeſe hoc cultro lancinaverit.

Juſſi tandem ſcripto mentem declarare in eandem ſententiam convenere primò J. Brentius, Wenceslaus Strauſſius, & Erhardus Snepfius; quibus mox acceſſerunt Matthæus Aulberus & Paulus Conſtant. Phrygio (Germanicè dictus Seiden-Stůcker:) Scandalo carentes retineri poſſe decernentes. Caſparus Græterus denuo Principis arbitrio rem totã committit, conſiliumque addit: Quo pacto Snepfius & Blaurerus queant conciliari. Enimverò

Blau-

Blaurerus perstitit in Opinione concludens: Arbitrari se, Principem insigni cum fructu & honore coram Deo & piis omnibus imagines templis ejicere posse; Non obstante, quod alii Principes Evangelici nondum id fecerint, quibus Evangelium ante Wirtembergicam sit prædicatum. Sæpè enim ultimos fieri primos & majorem Ducis in laudem cessurum, si alii exemplum ab ipso capiant, quam si tergiversetur & alios identidem respiciat. Etenim in promovendâ gloriâ Dei unumquemque ex superioribus merito primum & principem debere locum affectare, & Deo, à quo potestas Magistratus dependeat, gratitudinem demonstrare. vid. C. Besoldi Documenta Rediviva Monasteriorum Wirtembergensium P. II. p. 88. usque 97.

His rationibus Ex-Monachum istum, quem per contemtum appellat, pervicisse & triumphum obtinuisse, asserit quidem Apostata Besoldus; Sed fallit, cum nec omnes imagines, nec altaria è templis Wirtembergicis fuerint ejecta. Blaurero tamen imputandum esse, quòd apud nos minus cerimoniarum & rituum remanserit, quàm in Saxoniâ & alibi, in aprico est. Eâ de causâ Dux Wirtembergiæ, Ulricus, Cinglianismi suspicionem in Aulâ Cæsereâ incurrit.

Proinde transactio Cadanensis propemodum fuisset rescissa, nisi Princeps Ulricus in literis ad Philippum Landgravium sese purgatum in hoc puncto dedisset. conf. Seckend. Lutheran. P. III. p. 76. Blaurerus verò, cui etiam in materiâ de S. Cœna cum Snepfio non conveniebat, honestè & cum pace dimissus, uti supra annotavimus. Schradinus denique,

que, cujus mentio ſemel facta eſt in hâc relatione, patriâ fuit Wirtembergicus, ſed Miniſter Eccleſiæ Reutlingenſis, qui militis habitu indutus ſæpius ad B. Lutherum in Saxoniam excurrit, ejusque ſententiam in rebus gravioribus exquiſivit. vid. Jac. Friſchlini Carmen Seculare p. m. Ex quibus omnibus planum eſt, nonnullos Sueviæ Theologos cum B. Luthero in gravioribus omninó ſenſiſſe, in minoribus verò vel dubios hæſiſſe, vel ad Cinglianorum opinionem aliquatenus inclinâſſe, neque tamen ideò pro Cinglianis habendos eſſe. Hæc per anticipationem à nobis huc relata ſunt, ut quæ de Samio adduximus aliorum exemplis illuſtrarentur. Pergimus nunc ad reformationem Wirtembergiæ ipſam.

De Reformatione Wirtembergiæ.

§. 4.

An. 1535. ULRICUS Dux Wirtembergiæ, diu ante cum in aulâ Haſſiacâ viveret, Evangelicæ doctrinæ amore & Lutheri æſtimatione imbui cœperat, Hartmuthi Crónbergii converſatione excitatus. Poſtea Ulricus in comitatu Landgravii, Anno 1529. Marpurgum profectus, Lutherum vidit, & inde amare, admirari & ut Heröem æſtimare cepit. Reſtitutus An. 1534. in Ducatum ſuum, nihil prius habuit, quàm religionis curam. Uſus autem eſt administris Erhardo Snepfio, Marpurgenſi tunc Profeſſore,

fessore, à Landgravio, & Ambrosio Blaurero, à Constantiensibus, Johanne Brentio ab Hallensibus, Matthæo Aulbero, à Reutlingensibus, & postremo Valentino Vannio, qui Stuttgardiæ postea Ecclesiastes fuit, à Georgio Marchione Brandeburgico missis. Missificatio abrogata fuit Anno 1535. festo purificationis. Tubingæ *An. 1535.* prima Concio Evangelica à Blaurero habita *fuit* d. 2. Sept. Waiblingæ ab Erhardo Snepfio ordinatus est Leonhardus (non Erhardus uti mendosè apud Seckend. legitur,) Wernerus, cum primam ibi haberet concionem, & cœtus hymnum illum de justificatione per fidem: **Es ist das Heyl uns kommen her.** cantaret, expuerunt Pontificii Sacerdotes & Diaconi veteres, temploque indignabundi exierunt. Wernero successit Oseas Hala, vir trium linguarum doctissimus. Secuta est Monasteriorum mutatio & novæ regulæ. Monasteria Ducatus sedecim erant (hodiè 14.) quorum Abbates ad comitia provinciæ vocari solebant. Cum autem in iis (verba sunt Crusii,) magnus esset Monachorum numerus, cum illis hoc à Principe actum est, ut aut Ecclesiæ docendo Evangelio inservirent, aut aliô locorum se conferrent cum bonis suis, aut privatim agerent, ubi placeret, aliquam pecuniæ summam ex reditibus Monasterii ad victum & amictum accepturi. Regulæ personis in Monasterio permanere volentibus præscriptæ, Herrenalbensibus quidem (quod Monasterium magnæ præ aliis dignationis erat,) d. 6. Jul. Anno 1535. per nobilem Joann. Frider. Thumm, Kircho-Tecciæ Satrapam & Erhardum Snepfium Principis legatos tradi-

tæ,

tæ, erant ſequentes: Legerent ſuis horis S. literas; Pſalmos canerent: Cœnam Domini ſub utrâque ſpecie perciperent, miſſas omitterent; Confeſſionem auricularem tollerent: pro cucullis aliâ veſte honeſtâ uterentur, honeſta opificia exercerent, conſcientias non onerarent. Moniales verbum Dei audirent. Nullos amplius monaſticam vitam acturos reciperent. vid. Cruſ. Annal. Suev. P. III. Libr. XI. p. 627. & Seckendorff. Lutheran. Hiſt. P. III. p. m. 123. Harum conditionum alii aliam accepere, & quos privatim vivere juvabat, in ſingulos annos ſinguli 40. florenis donati ſunt: Laicis fratribus, qui uxores ducebant, quotannis 25. decreti. Abbas Hirſaugienſis Joannes, ſolus in eo Monaſterio permanens & privatus agens 400. florenos ex reditibus ejus accipiebat; Murhartenſis Abbas, Martinus, favore nobilium ibi relictus eſt cum Priore Thomâ Carlino, præfecturam gerens habitu ſuo. (vid. Cruſ. loc. cit.) de cætero conventu & Abbatia deſtitutus. Sed & Blabyrenſis Abbas, ut in Manuſcripto inveni, cum ſex Conventualibus religioni Lutheranæ manus dedit. E Bebenhuſano Cœnobio cum aliis egreſſus eſt Johannes Mendlinus, Ordinis Prior, factus poſtea Profeſſor Dialectices in Academiâ Tubingenſi publicus. Ex Adelbergenſi Abbas ipſe Leonhardtus Dyrrius de Zell, ſinceriorem doctrinam eſt amplexus & An. 1538. vitâ functus Ex Anhuſano Johannes Agricola, è pago Alpeſtri Gerſtetten natus, qui Anno 1522. electus fuerat in Abbatem, uxorem duxit, quâ cum usque ad finem mortalis vitæ ſuæ in Bolheymenſi pago inter homines agreſtes (accepto annuo penſo,) vixit & in templo Parochiali

deinceps

deinceps humatus eſt, quem Caſpar Bruſchius eam ob cauſam valdè traducit, quod nomine, patriâ & reipsâ verè fuerit ruſticus; literarum & literatorum maximus oſor; qui ſuis etiam juvenibus nec Pædagogum alere, nec quicquam librorum emere voluerit. Sed hæc quantum valeant à Pontificio dicta, in aprico eſt. Idem Bruſchius reliquos ejus conventus Monachos partim Monaſticæ profeſſionis veſte abjectâ ad alia ſeſe ſtudia contuliſſe teſtatur. vid. Bruſch. Chronol. Monaſt. German. fol. 2. E Denckendorffenſi, Ulricus Fehleyſen, præpoſitus doctrinæ Evangelii favit, (D. Heermanno teſte) inter ſuos nominatiſſimus, prudentiâ, rerum uſu, vitæ ſplendore & liberalitate domi & foris conſpicuus, literarum & literatorum fautor egregius, vid. Or. Bindero hab. p. m. 11. Ex Alpirſpacenſi jam anteà Ambroſius Blaurerus ſeceſſum fecerat. E Maulbronnenſi Valentinus Vannius jam Anno 1525. poſtea verò Jacobus Schroppius, & Joh. Epplinus noſtris acceſſere. Herren-Albenſis autem Abbas, Philippus Degen, de quo P. I. p. 63. regulas ſuprà memoratas admiſit jam An. 1535. & deinceps temporibus Chriſtophori Abbatiam retenuit, atque illius permiſſu matrimonium iniit, avus ex filiâ factus, Caſparis Lucii, Abbatis Evangelici Alpirſpacenſis, P. I. p. nobis laudati. Ipſe octuagenario fortè major, rude donatus, Tubingæ, d 5. April. 1591. obiit, cui J. G. Sigwartus D. & Prof. Theol. parentavit. vid. Cruſ. Annal. P III. p. 842. Reliqui Abbates loco cedere, quàm conditionibus iſtis acquieſcere maluerunt. Solus Zwifaltenſis Ducem in jus vocavit & cauſam ſuam coram Ferdinando Rege

ſtrenuè egit, uti Bruſchius refert. (a) Enimverò interceſſione potius Romani Regis, quàm juſtitiâ cauſæ reformationem avertit Zwifaltenſis, aliquot aureorum millia Duci Ulrico per transactionem pendere adactus; conf. Cruſ. l. c. p. 628. De cætero quia Ducatus erat amplus & jam tùm oppida majora numerabat quadraginta octo; minutiora, muris tamen cincta, quatuordecim; pagos quadringentos, (quorum omnium tamen numerus usque in hunc diem temporis ſucceſſu inſigniter crevit,) ideòque magna fuit prædicatorum Evangelii penuria & aſſumti ab initio parum digni calumniis occaſionem præbuerunt. Plebs in ûniverſum ſub veteri ſuperſtitione ita tractata erat, ut planè rudis omnium religionis capitum eſſet, adeòque informationem ægrè ſuſciperet & multi ad ritus illos externos; quibus ſacra priſtina conſtabant, ut ad conſueta, reſpicere cœperunt. (vid. Seckend l c. p. 123.) Hinc ſeverioribus uti cepit mediis Princeps. Anno quippe 1536. d. 8. Maji, ſimulacra ſanctorum Stuttgardiæ è templis remota ſunt. Die Lunæ verò poſt feſtum Pentecoſtes decretum in foro Stuttgardiæ pronunciatum & in omnem ditionem emiſſum eſt hujus tenoris: 1. Ne quis inſectetur Evangelicas ex verbo Dei conciones. 2. Quisque ſingulis diebus Dominicis & feſtis ad conciones accedat: eodem mittat ſuam familiam, ſaltim ſemel in die. Qui neglexerit, primò unum florenum mulctæ loco pendat; qui ſecundò, duos. Qui mulctam ſolvere non poterit: is quatriduum pane & aquâ paſcitor in carcere. 3. Nemo aliò evagetur ob Miſſas audiendas, ſub pœnâ modò

(a) *Chronol. Monaſt. apud Seckendorff. l. c.*

modô dictâ. 4. Nemo inter conciones ludito, Saltato, convivator in publico sedeto statove; sed ad minimum semel concioni interfuerit & domi maneat. Mulcta 5. ß. aut diem & noctem luat in carcere. 5. Imagines quæ ad orantur, tolluntor: Sed quæ scandalo carent, ferri possunt. Tolluntor verò illæ priores, sciente Magistratu & Concionatoribus. Cruſ. Annal. l. c. p. 629.

De Reformatione Universitatis Tubingensis.

§. 5.

EOdem anno 1536. Udalricus Dux, *An. 1536.* Scholæ Tubingensis, tanquam thesauri Ducatus, curam paternam suscepit, missisque suæ voluntatis & affectus interpretibus, Simone Grynæo & Ambrosio Blaurero clementissimè prospexit, & ut in omnibus disciplinis utiliter doceretur, curavit, atque si reditus Academiæ non sufficerent, se suis Cameralibus, quos vocant, proventibus subventurum rarissimo quidem, sed maximè pio exemplo, scriptis etiam promisit. Mox impetrato ab Imperiali Halensium civitate, Johanne Brentio, Theologo Summo, qui exquisitiorem sacras literas docendi rationem monstraret; Ejusdem aliorumque consilio de adolescentibus studiosis perpetuò alendis (ne deessent Ecclesiis sui doctores,) cogitavit, & conjunctim in unis ædibus, (quas Eremitæ Augustiniani antea incoluerant,) ad

usque LXX. numero pro excitandâ ipſo *ex ſodalitio* majori induſtriâ animorumque conſpiratione, *habitare* voluit. vid. Melch. Ziegl. in Orat. G. Lieblero hab. p. 6. conf. Jubil. Acad. Secund. p. m. 3. Ut verò felicius ab humanioribus diſciplinis progreſſum facerent ad Theologiam præter Simonem Grynæum, etiam Philippum Melanchthonem & Joachimum Camerarium accerſivit; Philippus igitur eò venit, d. 24. Septembr. & ordinatis Philoſophiæ Profeſſorum lectionibus d. 7. Octobr. iterum diſceſſit. Camerarius verò jam antea ibi docere ceperat, atque per annum ibi commoratus eſt. cont. Vitam Melancht. p. 142. Hoc pacto Philoſophia & Theogia Scholaſtica ceperant eliminari. Unde ſectæ realium & nominalium, quæ Tubingæ, ſub Aquilæ & Pavonis nomine innotuerant, dicto anno ceſſârunt. vid. Cruſ. l. c. Notandum verò, Academiam Tubingenſem eo tempore, nondum quoad omnia membra ſua fuiſſe reformatam, vel quod honeſtè cum Doctoribus ſuis ſepeliri Scholaſticam malebat Princeps, vel quod privilegiis Univerſitatis prohiberetur. Equidem D. Ambroſius Widmann, Eccleſiæ Collegiatæ Præpoſitus & Univerſitatis Cancellarius, jam Anno 1535. Tubingâ clanculum Rotenburgum diſceſſerat, Pſalmos (ut ipſe dicebat) Germanicâ linguâ compoſitos in Eccleſiâ cum reliquis canere averſatus. Qui etſi poſtea ſæpè ad officium requiſitus fuerit, noluit tamen redire. Unde ab An. 1536. usque ad An. 1539. Magiſterii honores nemo accepit, donec Ulricus Dux, ejus loco Joannem Schnizerum Cancellarium conſtitueret. (b)

Nihi-

(b) *Cruſ. p. 628. & 640.*

Nihilominus supererant Doctores Pontificiæ religioni etiamnum addicti, qualis erat:

PETRUS BRUNUS, SS. Theol. Licentiatus, & Præpositus S. Petri in Sylvâ (zum blauen Mönch im Schönbuch) natus in Kirchheim/ (c) Anno 1443. Magister factus erat Decano Simone de Biel Anno 1492. postea autem Theologiæ Scholasticæ Professor in Academiâ Tubingensi, primâ vice Rectoris officio perfunctus Anno 1503. & octavâ Anno 1534. Homo acutus (Theod. Snepfio teste, (d) & ut ferebant superiora tempora doctus. Gabrielis Biel discipulus, de quo, ut habet D. Christoph. Heermannus, in Orat. C. Bindero, hab p. 8. siquando hilarior esset, utpote majore & antecessore suo, de studiis, privatâ diligentiâ, meditationibus, lectionibus, concionibus, abstinentiâ adeòque universâ vitæ ratione multa præclarè disserebat & in animis adolescentum desiderium memoriamque viri renovabat, aliaque multa sapienter monebat exactæ ætatis Senex. Is quotidiè Beuerlino in Stipendio Martini Plantschii versanti hortator fuerat, ne à Romanensi Ecclesiâ descisceret, nevè parentum monita sperneret. Ejus Epitaphium Tubingæ extat in templo sequenti inscriptione:

PETRUS BRUNUS, S. Theol. D. Academiæ Tubingensis Professor, cum rarissimo quodam exemplo vitæ annos ad nonaginta firmâ semper valetudine & piè & innocuè produxisset An. tandem

(c) *Crus. p. 496.*
(d) *Orat. Beuerlino hab. p. m. 8.*

M. D. LIII. mensis Februar. d. 8. vitâ defunctus est.

Alter Theologus Pontificiæ doctrinæ ad huc dum deditus erat, *Balthasarus Käuffelinus*, Theol.D. & Professor, ex oppido Wildberga oriundus, qui Constantiæ cum Matthæo Aulbero confirmationem Sacerdotalem accepit. Anno 1518. Rectoratum Academicum gessit primâ vice Anno 1520. per integrum annum, decimâ tertiâ vice An. 1552. Interimisticam doctrinam Anno 1548. ipsamque missam denuó receperat; (e) rude postmodum donatus à Duce Christophoro, postquam 40. annos Professorem egisset. Mortem obiit d. 4. Octobr. Anno 1559. vid. Cruf. Annal. P. III. p. 705. Jubileum Acad. alterum. p. 222. Extat ejus Epistola manuscripta de Papa deponendo.

Observâsse hoc debuerat G. Arnoldus ejusque hyperaspistes, ne tàm frivolè Theologis Tubingensibus Evangelicæ Religionis Consilium illud justo durius contra Anabaptistas apud Ottium, impingere ausi fuissent. (f) Nec enim id à Lutheranis, sed præfatis authoribus Pontificiæ doctrinæ nondum renunciantibus erat profectum. Meliorem nostratium sententiam & cum reliquis Evangelicæ Ecclesiæ Theologis ex asse conformem quivis Lector cordatus perspicere potest è disputationibus publicæ luci expositis, J. Andreæ Heerbrandi, Snepfii, Thummii, Osiandrorum & reliquis Wirtembergicorum scriptis. Quæ si legere vel titulotenus saltim inspicere maluisset, quàm insontes traducere Arnoldus, haud

(e) *Fam. Andr. Reflor. p. m. 32. conf. p. 39.*

(f) Historische Betrachtung wider *S. Caroli p. m. 418.*

haud dubiè plus candoris fuisset litaturus. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Redimus ad reformationem.

Acceperat libertatem reformandi Ducatum suum Ulricus Princeps vi transactionis Cadanensis eâ tantum cum exceptione ut in Abbatias quæ singularia haberent privilegia & ad Ducatum non pertinerent, nec in religione, nec in redituum possessione turbaret. Cum verò tota provincia Wirtembergica veteri instituto per partes & pro situ Diœcesibus Episcoporum quinque, Constantiensis, Augustani, Spirensis, Wormatiensis & Würzburgensis subesset, illorum indignationes & varia molimina adversus reformationem sese ostendêre. Nec defuerunt, qui Ferdinando Regi suggererent, ut libertatem reformandæ religionis, pactis Cadanensibus Duci concessam, impediret. Duas ad id machinas adhibuerunt. Dicebant, promissum saltim esse, ut status pristinus in Ducatu Wirtembergico servaretur, ubi tolerata erat quædam Evangelii professio: addebant, Electorem Saxoniæ in pactis contentum hâc conditione fuisse. Inductus per hæc Ferdinandus literas in illum sensum ad Moguntinum dederat & jam expostulare cum Electore ceperant Ulricus Dux & Landgravius facilitatem ei exprobrantes. Subtilius erat, quod dicerent, ab Ulrico id agi, ut Cinglianum dogma provinciæ suæ inveheret. Scripsit itaque Rex ad Electorem d. 15. August. in genere saltem, ut sectæ Zwinglianæ neque in sua ditione locum daret, neque in aliis illam promoveret. Respondit graviter Elector: d. 20 Aug. parenti suo sibique curæ fuisse, ne Zwinglii secta in suas irreperet ditiones, neque nunc reperiri in oppidis præsertim, qui

illi ſint addicti &c. Quod verò ad primam objectionem de ſenſu pactorum Cadanenſium attinet, Ulrico & Landgravio, deinde Mediatoribus, & denique Ferdinando maſculè reſpondit Elector, aſſeverans NB. clarè & liquidè permiſſam eſſe Ulrico facultatem reformandi, neque ſe unquam in pacta conſenſurum fuiſſe, niſi firmiter conſtituto hoc capite. Non negavit tamen duas conditiones adjectas fuiſſe: unam, nempe, de cavendo Zwinglianiſmo; alteram de non turbandis monaſteriis, quæ Ulrici jurisdictioni non ſubeſſent. Addidit, quoniam Cinglii & Anabaptiſtarum errores ante reſtitutionem Ducatus multis in locis invaluiſſent, neque à Clero ſatis refutari potuiſſent, futurum eſſe, ſi interpretatio de ſtatu priori ſervando locum haberet, ut utraque illa dogmata in provinciâ continuari deberent. His motus Ferdinandus literis bonam fidem agnovit, & duabus illis conditionibus contentus fuit, idemque Legatis, qui illo tempore ab Electore Viennam miſſi erant, confirmavit. vid. Seckend. P. III. p. 75. 76.

Ita pervicit conſtantia Ulrici & poſtea emendatius omnia conſtituta fuere ſub Chriſtophoro Duce, qui quod neglectum erat, Scholas in monaſteriis conſtituit & ex reditibus eorum Eccleſiis, Academiæ & Scholis egregiè proſpexit. Ipſe tamen Ulricus ad hoſpitalia pauperum plusquam octoginta millia contulit, conſtitutis etiam, cum rerum undique pretia creſcerent & Salariorum in Profeſſores & in Univerſitatem ipſam redituum inſignibus augmentis, Seckend. l. c. & Jubil. Acad. Tub. alterum p. 3. Imò priores reditus, quos ſacrificuli habuerant,

rant, Evangelii Miniſtris conceſſit, quos poſt Interimiſtica tempora ſub Duce Chriſtophoro, Politicorum quorundam arte amiſerunt. vid. Fam. Andrean. p. m. 34. 35.

Quemadmodum verò laudatiſſimus Princeps Tubingæ in omnibus, quæ ad ejus augmentum & ornamentum ſpectabant, munificentiam ſuam demonſtravit; ita non minorem pro Metropoli, Stuttgardiâ, curam geſſit. Ibi namque Pædagogium inſtituit, quod ſucceſſu temporis evaſit florentiſſimum, ita ut An. 1574. in ſex Claſſibus ſub ſeptem Præceptoribus & uno Pædagogiarcha 312. diſcipuli numerarentur. (g) Fuit autem, quem ſupra P. I. ſæpius laudavimus,

ALEXANDER MARCOLEON, ex Monacho Stuttgardiano Prædicatorum Ordinis, (qui in Xenodochio ſedes ſuas habuerant & cum Templo Clauſtrum extruxerant,) Pædagogiarcha primus. Is inter primos erat, qui in Wirtembergiâ Evangelii doctrinam agnoverunt. Unde à Regimine Cæſareo expulſus circa Anno 1525. Eſslingam venit & ludum ibi literarium aliquot annis moderatus eſt. Ulrico autem Duce avitas ditiones armis recuperante ab Eſslingenſibus repetitus, & in Principis gratiam dimiſſus, Pædagogio Stuttgardiano præfectus eſt. Ceperat ab initio in Eccleſiâ etiam concionari, ſed cum aliquoties hæſitaret, ſuggeſtu deinceps abſtinuit, dictitans: Formas ſibi quidem non deeſſe, ſed corium. Es mangle ihme zwar nicht an Laiſten / ſondern am Leder. Arte quidem

(B) 5

(g) *Cruſ. Orat. Leonh. Engelh. Fun. p. 17.*

dem & apparatu ad elaborationem concionis se non carere, sed Elocutione destitui, intimaturus. (a) Celebratus passim à Viris doctis Seculi XVI. quod fuerit Vir doctissimus & optimus formandæ juventutis artifex. vid. Cellii, Orat. Chil. Voglero habitam p. 9. Joannes Harpprechtus, JCtus celebris, eum vocat Ludimoderatorem literatissimum & ad formanda juventutis studia quasi natum & factum in Orat Anastas. Demlero hab. p. m. 6. Educavit enim viros præclarissimos, quorum celeberrimi fuere Jacobus Andreæ; quatuor Bidembachii fratres; Theodoricus Snepfius, Orator disertissimus; Johannes item Wellingius, Ferdinandi postea Regis Cancellarius & Baronatus dignitatem nactus, qui summorum ad opum & honorum fastigia conscendit. Chilianus Voglerus & Anastasius Demlerus, JCti famigeratissmi, aliique complures. vid. Cellii, Orat. Theod. Snepfio habitam. lit. c. 3. b. Fratrem habuit Johannem Marcoleonem, Pastorem in Præfecturæ Marpacensis pago Murrh, itidem insignem didacticum & Philippi Melanchthonis Præceptorem, qui multas ei orationes correxit. vid. Cellius l. ult cit. Ipse Alexander nomen suum postea mutavit, seseque Germanico idiomate Märcklin vocavit. Pulverem Scholasticum cum coronâ immarcessibili commutavit, Anno 1551. Extant nonnulla ejus scripta, quæ hujus loci non sunt. Collegam in officio habuit quendam Canonicum Stuttgardianum, M. Bernhardum, Is Professor aliquando Viennensis fuerat, Latinè Græcè & Hebraicè doctissimus; qui etsi præter aliquot horas, ex ordinis istius regu-

la,

(a) *Ex Chronico Gabelcoveri Stuttg. Manuscripto.*

la, quotidiè ſacris Papiſticis & neſcio quibus precibus, miſſis & Pſalmorum commurmurationibus tribuendas reliquum temporis pariter ex ordinis iſtius etiam hodiernâ conſuetudine luxu deperdere turpiter aut otio ſaltem inaniter conſumere potuiſſet: tamen à verâ pietate non abhorrens, quæ ejus ſcintillans erat ſemper fides, & cum publicâ vivendi utilitate conſcientia, Latinas, Græcasque literas & publicè docebat in Scholâ & privatim domi ſuæ diſcipulos ac convictores fideliter in iis erudiebat. vid. Cell. Or. cit. Vogler. hab. p. 10. Sed hæc de primordio Reformationis in hoc Ducatu ſufficiant.

De Reformatione Montis-Peligardi.

§. 6.

IN hoc Comitatu ſeu Principatu, nec non in ditione Richovillanâ in Alſatiâ reformationem An. 1535. pariter orſus eſt Georgius, Ducis Ulrici frater, qui ſuaſu Chriſtophori Ducis jamdum quinquagenarius uxorem duxit, atque Fridericum filium genuit, qui extinctæ in Ludovico familiæ ſucceſſit & hodiernam Ducum ſtirpem propagavit. (a) Factam eſſe illam reformationem (ex Hoſpiniano Abrah. Scultetus ait) ad Helveticæ Confeſſionis normam. Sed non tàm facilè fidem merentur Hoſpiniani & Sculteti aſſerta. Etenim Hoſpinianus, ſi potuiſſet, omnes Principatus An. 1535.

(a) Vid. Seckend. P. III. p. 123.

tus & Civitates pro Cinglianis vendidisset. Id omninó solenne fuit Reformatis Sec. XVI. suæ Confessionis receptionem ante Lutheri doctrinam jactare. Ut verò fidem Hospiniano derogemus etiam in hoc passu, argumenta, quæ nos movent, non sunt nulla. Primò namque Petrus Tossanus, Metensis, primus Mompelgardi Pastor fuit, uti Hospinianus ipse testatur. Atqui Tossanus ille Augustanæ Confessionis socium se constantissimè, licet falso, professus est, atque Cinglianum dogma de Eucharistiâ non nisi clanculum sparsit, prout ex sequentibus epistolis Brentii ad Angelandum & Snepfium elucescit. Quod si ad Helveticæ Confessionis formam facta esset Montispeligartensis reformatio, non opus habuisset Tossanus ad Aug. Confessionem provocare, vel Cinglianismum suum occultare, quem vi Confessionis Helveticæ publicè & apertè licuisset docere. Deinde Dux Christophorus à Patre Montispeligardum missus Anno 1541. ut ibi sedem suam haberet, Augustanæ Confessionis Præconem Aulicum adduxit, Johannem Angelandrum (Germ. Engelmann,) qui aliquot annos juxta Tossanum docuit, tametsi non sine controversiâ; Jam verò diversas confessiones è diametro pugnantes publicè receptas fuisse, ne speciem quidem veri habet.

Cumque adeò Tossanus post adventum Ducis Christophori non fuerit dimissus, sed in officio manserit, ut Pastor & Antistes Ecclesiæ 36. annis (si Melchiori Adamo fides. Vit. Theol. p. 332.) adeòque & post Christ. Binderum anno 1557. informan

mandæ Ecclesiæ causa eo missum, planum est, eum pro Augustanæ, non Helveticæ Confessionis, socio fuisse habitum, sed malâ fide in munere versatum, utpote qui aliud corde sentiret, quàm ore loqueretur. Hinc factum, ut Cingliani Doctores ad amoliendam hypocriseos & doli mali notam, ipsam Augustanam Confessionem in sensum Zwinglianum trahere omnibus viribus sint annisi. Quod cum etiam Daniel Tossanus, Petri filius, posteâ ausus fuisset, Nicolaus Cancerinus, Superattendens Richevillanus, è Wirtembergiâ eò missus, vindicias Aug. Conf. ei opposuit. vid. P. I. Memor. p. 160. Confirmantur hæc ex iis, quæ habet D. Christophorus Heermannus in Orat. Christ. Bindero dictâ. p. m. 22. Irrepserant inquit, eò loci (Montispeligardi,) circa initia reformationis plerique ex Helvetiis adsciti Doctores, qui Tigurinum de S. Synaxi dogma amplectebantur, erat & in ritibus externis, ceremonias vocant, quædam discrepantia. Opus igitur erat viro non tàm erudito, quàm circumspecto & industrio, qui omnia singulari animi moderatione perageret, ne vel nimiâ vehementiâ quemquam offenderet, aut turbulentis actionibus statum Ecclesiarum everteret. Hæc Bindero fuit data provincia Anno 1557. quam in se recepit & non minori cum successu, quàm fidelitate administravit. Herculeos sanè labores sustinuit in repurgando illo Augiæ stabulo, luctandum illi fuit cum variis monstris, Papicolis, quibus tota abundat vicinia, Anabaptistis, Sacramentariis, resecanda multa Hydræ capita. Non deerant viri eruditi, qui dogmata sua acerrimè propugnabant; vulgus eam, quam à teneris imbiberat

opinionem, mordicus retinebat. Hoc opus, hic labor erat. Sed res eâ dexteritate à nostro ita peracta fuit, ut annuâ operâ id effecerit, ut rebus pacatis & optimè constitutis Ecclesiis, quæ ab illo tempore tranquillæ permanserunt magno sui post se relicto desiderio domum quietè redierit. Hactenus Heermannus. Patet ex hisce Helveticos Doctores sub aliâ planè, quàm Helveticâ Confessione irrepsisse, non apertè venisse ut Cinglianos. Istius tamen dogmatis semina etiam in vulgus sparsisse. Tandem verò detectos atque expulsos esse, quod ipsum Danielis Tossani exemplum comprobat. conf. Part. I. Memor. p. 67. & Caroli Memor. Tom. I. p. 39.

Ad acta Mompelgartensia cum P. Tossano.

An. 1543. JOHANNES ANGELANDER, vernaculo idiomate Engelmann, sub initia Reformationis Evangelicæ in Ducatu Wirtembergico erat Pastor Engersheimensis Ecclesiæ, in majori ejus nominis vico, non longè ab oppido Bietigheim distante. Inde à Christophoro, Principe Wirtembergico, cui Pater, Dux Ulricus, Comitatus Mompelgartensis administrationem cesserat, in Præconem Aulicum adscitus Anno 1541. gravissimas cum asseclis Cinglii & Buceri, maximè cum P. Tossano, Collega, concertationes habuit in materiâ de S. Cœna & manducatione impiorum. Testes ejus rei producimus literas à J. Brentio ad Engelmannum datas, in Manuscripto repertas, in quibus eum

ad

ad moderationem hortatur. Fatis concessisse videtur post annum 1569.

Joannes Brentius, Joanni Angelandro, Ecclesiastæ Ducis Christophori à Wirtemberg.

INtellexi è D. Buzeri literis, coortam esse controversiam inter te & Tossanum Collegam tuum de manducatione indigni in Cœnâ Dominicâ, teque à Communione ejus propter hanc causam abstinere, quod non ingenuè fateatur, etiam indignum edere in Cœnâ Corpus Domini. Visum igitur est, tecum de hoc negotio per literas colloqui, ut quantum in me est, & tuæ & Ecclesiarum vestrarum tranquillitati consulerem. Ego enim, etsi sentio, non dignos tantùm, sed etiam indignos cœna Dominicâ utentes, sumere in eâ verum corpus & verum sanguinem Christi illos quidem ad salutem, hos autem in judicium, tamen, quia intelligo Tossanum adscribere se in doctrinâ Cœnæ Dominicæ Augustanæ Confessioni & non negare indignum sumere in Cœnâ Corpus Domini, sed rejicere hoc ad judiciũ piorũ & doctorum Virorum, non puto eum ob hanc causam esse damnandum & â Communione rejiciendum. Magna Virtus est, ea, quæ quis nondum intelligit, nec probè assecutus est, majorum sententiæ subjicere. Scis autem homines non propter Virtutem, sed propter Vitia in Communione Dominicæ Cœnæ vitandos esse. Ac fieri quidem potest, ut isti, cum quibus tibi est negotium, celent verbis suæ

Con-

Confeſſionis ſententiam Cinglianorum, & aliud ſentiant, aliud loquantur. Sed ſi Verba fuerint pia, malo juxta charitatem Chriſtianam meliora credere, quam ex ſuſpicionibus ſeverius judicare: præſertim cum Deus non jubeat me eſſe cordium ſcrutatorem. Summa ſeveritas, ſumma ſæpè iniquitas eſſe ſolet, & qui nimium mungit, inquit Salomon, elicit ſanguinem. Finge iſtos me fallere, non certè me, ſed Chriſtum filium Dei fallunt, cui etiam procul dubio pœnas dabunt. Quæſo autem Te, mî Engelmanne, conſidera tecum cauſam ipſam hujus controverſiæ: De manducatione impiorum litigatur? Quid? Annon fœdum eſt, pios ſuſcipere mutuum inter ſe bellum propter manducationem impiorum? Excitabo ne diſcordiam in Eccleſiâ, & perdam Eccleſiam propter eos, qui non ſunt de Eccleſia, aut ſunt ficta membra Eccleſiæ? Quid ad me, inquit Paulus, vel de his, qui foris ſunt judicare? Quare amiciſſime mî Engelmanne, rogo te per Chriſtum, da hoc tranquillitati Eccleſiæ; da Chriſto ipſi Servatori noſtro, ut ſi Toſſanus pia docet & honeſtè vivit, quemadmodum ex amicorum literis intelligo, non rumpas ob unam hanc cauſam vinculum pacis, ſed ambules cum eo concordi amicitiâ & charitate in domo Domini. Si quis iſtorum celat occultam impietatem, viderit hæc Dominus. Noſtri certè officii eſt, malum benè conditum non movere. Hæc ſcripſi ad Te candido animo pro jure veteris amicitiæ noſtræ. Peto igitur ut viciſſim candidè & amicè ea accipias. Benè ac feliciter Vale.

Ex Halâ Suevorum. &c.

JOAN-

Joannes Brentius de eâdem re ad Snepfium.

QUod ad causam Cœnæ dominicæ attinet, etsi video Tossanum esse doctum & pium virum, tamen non puto eum omninò abesse à sententiâ Cinglianorum. Hoc genus hominum edoctum est, nostris verbis suam sententiam celare. Fatentur in Cœnâ sumi corpus & sanguinem Christi à piis, sed quomodo hoc negarent, cum manifestum sit, corpus & sanguinem Domini sumi semper à piis, etiam sine Cœnâ Dominicâ. Itaque non potest certius extorqueri, quid in animo eorum lateat, quàm propositâ hâc quæstione de manducatione Impii. Nolui tamen oleum addere camino, sed hortatus sum Engelmannum ad Concordiam, ut vides. Curandum autem nobis est, ne nostris literis tradamus Engelmannum suis Collegis opprimendum. Quare te rogo, ne exemplum mearum literarum mittas ad Tossanum. Nec dubito, quin tu ipse pro tua prudentiâ literis tuis provisurus sis, ne his nostris exhortationibus discordia magis alatur, quam pax constituatur. Video eos, qui semel se addixerunt dogmati Cingliano, propè esse insanabiles. Et quantum mihi est judicii, quæ docent, magis faciunt ad ostentationem, & si multum ad civilem quandam honestatem, quam ad veram pietatem, quæ est in Christo filio Dei. Scis etiam quantum negotii & molestiarum mihi exhibuerit quondam hæc factio, & adhuc meministi, quibus dolis & technis Blaurerus rem administrave-

rit in Ducatu. Quò igitur minus rei eſt cum id genus hominibus, eò melius & diligentius puto me meæ vocationi ſervire poſſe. Legi his diebus libellum D. Lutheri, de quo nihil aliud dicere poſſum, quàm quod orem Dominum, ut quod agitur, in gloriam Chriſti & utilitatem Eccleſiæ cedat. Videbitur fortaſſis D. Lutherus nimis vehemens & durus; ſed quid faciat? Hoc merentur iſti, qui non hoc agunt, ut Chriſtus illuſtretur, ſed ut veteres errores & jam propemodum benè conditi diffundantur & iterum vulgando pro veritate agnoſcantur. Nos poſthabitis his nugis & injucundis rixis curabimus, quæ veræ ſunt pietatis. Vale!

His addita eſt ſchedula incluſa.

POſtquàm has literas ſcripſi, revocavi iterum in mentem, quod Buzerus de manducatione impii ſcribit. Concionatur enim neſcio quod diſcrimen inter impium & indignum. Ex quo intelligo eum habere eandem phantaſiam, quam videntur Cingliani habere in Cœnâ. Hi enim ſentiunt: panem eſſe panem, ſed cum ſumunt panem, credunt corpus Chriſti pro ſe traditum. Itaque dicunt ſe ſumere corpus Chriſti cum pane, quia ſumunt illud ſpiritualiter, hoc eſt, credunt, quod pro ipſis ſit datum. Si ad hunc modum ſentiunt, ut ego quidem judico: Annon ſunt egregii impoſtores? Nam hoc modo editur Corpus Chriſti, &, cum quiſpiam pius veſcitur pyro aut pulte. Veſcendo enim pyro, credit interim in Chriſtum, quod is tradiderit corpus ſuum propter ipſum in mortem. Ergò

gò veſcitur etiam corpore Chriſti cum pyro, aut pulte. Sed valeant iſti impoſtores, aut potius, quod unum optandum eſt, reſipiſcant. Amen! datum, 7. Novembris, Anno 1544.

Addimus Judicium Val. Vannii de Confeſſione Buceri & Gallorum in Mompelgardt.

ETſi Toſſanus cum ſuis neque aſſerant, neq; improbent manducationem impii, tamen eos ex ore & Confeſſione Buceri judicamus: Veriſimile enim eſt eos idem ſentire, qui alterutrum tantopere commendant. Tametſi autem Bucerus in ſuis literis primùm proponat Sacramentorum & ſubſtantiam & vim nulla hominis dignitate, ſed ſolo verbo Chriſti niti, tamen mox velut ſui oblitus ponit contradictoria. Nam negat palam Impium in Cœna ſumere corpus & ſanguinem Chriſti, propterea, quod verbis & inſtitutioni Cœnæ non ſtet, hoc eſt, non credat. Hoc quid aliud eſt quam Sacramentum pendere ab indignitate impii, aut dignitate pii. Si enim impio ideò negat corpus & ſanguinem Chriſti, quod non credat, manifeſtum erit, pio non aliâ ratione tribuere participationem corporis & ſanginis, quàm quod credat, utcunque hoc diſſimulet. Unde facilè eſt judicare, quale Corpus imaginetur Buzerus in Sacramento, nimirum ſpirituale, quod non os corporis, ſed tantum os fidei participat. Deinde argumentatur Bucerus à partitione inſufficienti. Nam axioma Lutheri: Eos, qui inſtitutionem & Verba Chriſti pervertant, nihil præter panem & Vinum in

suâ Cœnâ habere. Hoc quidem verum est de administris, non autem de sumentibus. Imò quod majus: Si quis institutionem & ordinem Dominicæ Cœnæ observaverit, sive is sit pius, sive sit impius minister. Imò sive sit asinus sive Bileam, sive sit Satan ipse, tamen revera sunt Verbum & opus Christi, adeòque omni acceptatione digna. Quòd si incredulitas aut impietas in ministro non corrumpit Cœnam, quò minus sit corpus Christi; multò minus impedierit impietas in sumente. Vide, den andern Theil von Himmlischen Propheten. Postremò mirum est, quod Bucerus cum suis tàm curiosè discernant inter indignum & impium in negocio Cœnæ Dominicæ, cum in judicio Dei sint æquales. Quare Bucerus cum Gallis fratribus & omnibus Concordistis valde mihi suspecti sunt de dogmate Cingliano, utcunque hæc dissimulent. Hactenus Vannii Judicium.

De Valentino Vannio, Martino Frechto, & Communione privata.

§. 7.

An. 1543. VALENT. VANNIUM Beilsteinensem ortu fuisse & primum Abbatem Cœnobii Mulifontani uxoratum testatur Crusius P. II. libr. 10. cap. 8. fol. 404. Ante illum Evangelicam Religionem jamdum susceperat Johannes Epplinus, itidem Abbas, qui

qui cælebs mansit; eumque insecutus est, An. 1558. Vannius. Vir Latinè, Græcè & Hebraicè doctissimus; prout non solum è Tractatu eruditissimo, quem contra missam scripsit, verùm etiam ex Manuscripto liquet, quod sub sequenti titulo reliquit:

Exhortationes ad Cœnam Dominicam quinquaginta duæ, quarum singulæ totum ferè negotium Cœnæ, adeòque articulum de Justificatione fidei ex integro sic complectuntur, ut nihil sit alienum à re, nihil repetitum sed nova sint omnia perinde, quasi eâ de re in anterioribus nihil sit actum. An. 1544. in fol.

Dedicavit eas D. Vito Angelo & Joanni Fabricio, Ecclesiæ Stuttgardianæ Diaconis & Symmystis, in quâ Dedicatione illicò ab initio commemorat, quod omni Sabbatho sub vesperis Ecclesiam ad Dominicam Cœnam adhortari à majoribus illi fuerit impositum. (hat müssen alle Præparations-Predigten zu Stuttgart als Pastor im Hospital halten.) Fuit acerrimus propugnator communionis privatæ. Accidit autem, ut aliquis è Ministris Stuttgardianis Ulmenses & præcipuè Martinum Frechtum propter neglectum communionis privatæ traduxisse diceretur. Quare Frechtus eâ de re ad Johannem Ottmarum Meylander, Beblinganæ Ecclesiæ Parochum scripsit, ut Vannio id exprobraret. Vannius autem graviter se excusans Frechto ex asse satisfecit. Dignæ sunt utriusque literæ, quæ hîc adponantur:

Optimo Viro D. Johanni Otthmaro Meylander, Beblinganæ Ecclesiæ Pastori bono, suo in Christo fratri charissimo, Valentinus Vannius.

Gratiam & pacem per Christum.

QUas ad me dedisti literas, amice frater, diligenter perlegi atque inter cætera ex illis intelligo, M. Martinum Frechtum, Ecclesiasten Ulmensem graviter de me conquestum, quod traduxerim ipsum, quasi non rectè sentiret aut doceret de Concordiâ, præsertim de absolutione & communione privatâ, dein amicè admones, ne quid temerè moliar in tàm doctum & pium virum, de republ. Christianâ optimè meritum; Postremò subindicas etiam, hominem jam parturire confessionem aut apologiam, quæ hanc labem abstergeret. &c. de quibus omnibus, amicè frater, gratias habeo tibi magnas; existimo enim hæc à te candidè fieri, nihil aliud respiciens, quam concordiam fratrum & utilitatem Ecclesiarum. Apparet autem ex tuis literis, non solùm Frechtum persuasum esse, sed te ipsum quoque cum plerisque aliis fratribus, me talem esse, qualis audio. Visum igitur est paucis tibi respondere, quid hâc in re mihi sim conscius, futurum confidens, simul atque veritatem cognoveritis, omnes bonos Viros judicaturos, me Frechto edendæ confessionis nullam occasionem dedisse. Obsecro itaque tuam pietatem, ut eâdem fide meam causam agas apud Frechtum, quâ ipsius egisti mecum & si ita tibi visum

ſum fuerit, has meas literas illi transmittas. Ac primò quidem non poſſum non deteſtari quadruplatoris illius (quisquis ille ſit) impudentiam, qui me tàm manifeſtò mendacii coarguit. Teſtis enim eſt mihi Deus & conſcientia mea, quod à confirmata concordia noſtrorum Theologorum nihil unquam ſiniſtri audivi, ſenſi aut dixi, publicè vel privatim de Frechto, ſed ſemper ut Præceptorem meum & in Chriſto majorem ſum veneratus, adeòque Frechtum inter præcipuos meos patronos & amicos numeravi. Proinde, welcher ſagt / daß ich M. Martinum Frechtum offentlich oder heimlich außgerichtet habe / als der ſich der Chriſtlichen Concordi von den heiligen Sacramenten nicht gemäß halte / der leugt als ein ehrloſer Bößwicht / deß will ich menniglich Fuß halten.) Deinde cum ſapientis ſit omnia prius verbis, quàm armis experiri, miror etiam, quid acciderit Frechto, ſi quid adverſum me habuit, cur non prius ad me ſcripſit, quam ad alios fratres, aut ſi me non dignatus fuiſſet literis; cur non ſcripſit Snepfio, Epiſcopo noſtro, qui haud dubiè paſſurus erat, neq; de me, neque de quovis alio ſubdito presbytero, ut noſtris rebus neglectis curioſius aliis bonis viris negocia faceſſeremus. Nunc verò ex ſolis falſis & vagis rumoribus perſuaſus, prius me etiam emiſſis ad fratres literis proſcindit, quam veritatem experiatur, id quam candidè & prudenter ſit factum, aliorū eſto judicium. Cæterum ut ingenuè fatear, eſt quod mihi diſplicet in Eccleſiaſticâ conſtitutione Ulmenſis Eccleſiæ. Nam in eâ ſic me legiſſe memini: Domeſticam Cœnam neque Verbum neq; Exemplum Chriſti pro ſe habere, ideoque non eſſe legiti-

legitimam, ſed veræ communionis abuſum. Et audio eam conſuetudinem etiam hodiè ibidem obſervari; id ſi verum eſt, non poſſum non ex animo ab illis diſſentire. Ipſe enim multa experientiâ didici, quantum conſolationis afferat ea Cœna moribundis. Atqui hanc conſtitutionem non imputavi Frechto; ſed potius rejeci omnem culpam in primos authores ordinationis. Neque Eccleſiam Ulmenſem ideò condemnavi, quæ NB. alioqui ſincerum Verbum Domini habet, etſi hoc beneficio ſit deſtituta. Quin etiam tàm Frechto, quam ſuæ Eccleſiæ ex animo condolui Neque enim dubito, quin Frechtus ex animo domeſticam comunionem mallet reſtitutam, ſi poſſet fieri, ſed proh! dolor, plura ubivis gentium coguntur boni paſtores tolerare, quæ cuperent emendata, inter quæ etiam numero inhibitionem domeſticæ communionis. Porrò in his omnibus ab hoc dogmate penes memetipſum ſic diſſentio, ut interim nullius perſonam, aut Eccleſiam inſectarer, ſed cuivis liberum permitto ſuo ſenſu abundare. &c. Facit etiam mentionem D. Ivonis Collegæ mei, quod æquè atque ego hoc nomine ſit diffamatus apud Frechtum. Verum ita me Deus benè amet non minus falsò traducitur quam ego. Nam idem jurat per omnia ſacra, ſeſe in hunc usque diem neſcire, quid Frechtus vel de publicâ vel de privata abſolutione communioneve ſentiat, tantum abeſt ut quicquam in ipſo reprehenderit, præterea ad totam noſtram Eccleſiam appellat, quæ teſtis ſit nullius unquam famam à ſe eſſe læſam. Quod autem privata colloquia attinet, nunquam de Frechto aliter quam honorificè locutus. Nihil igitur Ivo

pecca-

peccavit in Frechtum, nisi fortè, quod domesticam communionem summa concordia nobiscum administrat & urget, quemadmodum & in aliis omnibus fideliter vocationi suæ inservit. Ut autem tibi aliisque fratribus cognobile fiat, quod nihil peccavimus in Frechtum, age bonâ fide ad te mitto eam homiliam, quam hoc anno pro communione domesticâ ferè ad Verbum declamavi, non ut in quemcunque inveherem, sed ut meæ Ecclesiæ inservirem. Quòd si illi probabitur, tunc non est, quod de nobis quæratur, in aliis enim articulis, quod ego sciam, nihil diffidemus. Si verò non probabitur, per me sanè licebit illi eam vel multis confessionibus impugnare; Neque enim ego is sum, qui editis libris cum Frechto in arenam descenderem, hoc est scarabæus ad aquilam pugnarem. Quod si veró perrexerit nos innocenter traducere, aut nostram de communione domesticâ doctrinam impugnare persuasissimum habeat non defuturos, qui Veritati patrocinabuntur, sed speramus meliora. Hæc de tragœdia Frechti paucis ad Te scribere libuit, ut haberes, quod calumniatoribus nostris responderes. Interim tamen VALE cum suavissimâ tuâ sponsâ, & liberis, faxit Christus Opt Max ut hoc novum connubium felix faustumque sit ac non tantum liberis & divitiis, sed multò magis pietate ædificeris. Vale iterum alterâ Januarii, Anno 1543.

Valentinus Vannius, Parœcianus
Ecclesiæ Stuttgardianæ.

* IVO iste, cujus meminit epistola, cognomento HEINZELMANNUS, erat ab initio prædicatorum ordinis Monachus, qui Evangelium primus Neopyrgi in Ducatu Wirtembergico docuit, circa Annum 1536. Inde Stuttgardiam vocatus primum ad D. Leonhardum Pastorem Evangelicum egit, usque ad Annum 1547. quo Hispani Stuttgardiam omnemque Wirtembergiam occupavere, & pastores, qui decrerum Interimisticum recipere detrectabant, dimissi sunt. Ivo cum aliis pulsus post obitum Ducis Ulrici sub Christophoro, universum Ducatum ad Evangelii doctrinam denuò reformante Parochus Waiblingensis constitutus legitur. conf. Famam Andreanam Reflor. p. 11. & Cruf. Annal.

Responsoriæ M. Frechti ad præcedendentem Vannii fragmentum.

Martinus Frechtus, Ecclesiastes Ulmensis Ecclesiæ Domino Joanni Ottmaro Beblinganæ Ecclesiæ Parocho.

NUnquam enim in meum induxi animum de quibus tu scribis contra optimum fratrem Valentinum (Vannium) ut à me tentata vel patrata. Otthero semel amanter & absque cujusque fratris injuria scripsi, tandem opus esse, ut tot tantisque sectis grassantibus, vicinæ urbes & Ecclesiæ unanimi corde & calamo ederent suorum orthodoxorum dogmatum & rituum in Ecclesiis confessionem, ut viderent omnes, qui fortâsse nos habent suspectos, quod cum Schwenckfeldianis, Francicis (intel-

(intelligit Calvinianos) & reliquis Schwermeris colludamus, nos nihil minus quam istuc sentire & facere. Adjeci ad aures nostras pervenisse fratres quosdam in ducatu Wirtembergensi (nî fallor) duntaxat Ivonem quendam nominatim, de Ulmensibus suspicari, quod de Evcharistia non sentiant, quod debeant, ut vel apud Snepfium vel alium hoc Ottherus scribens exploraret, amanter sum obtestatus eum. De Valentino ne gry quidem amarum aut sinistrum unquam vel sensi vel dixi. Quæ de privata communione Valentinus scribit, mihi perplacent. Non enim ignarus, licet ordinatio Senatus nostri eam non damnet, tametsi in obsequiali à Conrado (Samio) nostro, piæ memoriæ, aliquid ad finem adjectum sit, quod mallem diu in spongiam abiisse; ut nihil dicam de eo, quod superiore anno cum aliquot personis hîc privatam, hoc est, extra solennem Ecclesiam & Synaxin communionem celebravimus. Atque utinam ille sanctus mos jam pridem in Ecclesiis nostris obtinuisset, aut etiamnum obtineret. Verum de eâ re quandoque latius. Tu quod facis non tàm D. Valentino, quem amo & veneror, quam aliis fratribus nos excusare non cesses. Nunc Wielandus hisce diebus in Suevicas thermas, ubi audio & Valentinum lavari, (quod precor ei faustum, fœlix & benedictum ut fiet) profectus ea & alia quoque tractabit cum bonis quibusque. Valentini de privatâ Communione piam & doctam exhortationem adhuc mecum detineo eam cum gratiis restituturus, si reposceris. &c. Hactenus Manuscriptum.

Cæterùm

Ad P. I. p. 42. CÆterùm MARTINO FRECHTO non solùm cum Schwenckfeldio, sed & cum Zwinglianis crebra intercessit controversia; Unde Ulmensis Ecclesiæ à fermento Cinglianismi repurgationem illi adscribit D. Dietericus, in Concione Secul. p. m. 21. ubi commemorat, quod cum Anno 1536. Witebergâ à Conventu Theol. Lutheranorum rediisset, inimici ejus sarcasticè Viro insultaverint, dicentes: Ecce Frechtus Witebergâ Christum attulit in pane. Sihe/ Frecht hat von Wittenberg Christum in dem Brodt gebracht. &c. Ipse verò non istas modò calumnias solidè diluit, verùm etiam Cinglii crassam æquè ac subtilem metaphoram (ut eam vocat) rejecit, ad Confessionem Lutheri majorem, quam æternâ memoriâ dignam judicabat, provocavit, seque in eâ, ceu muro aheneo, firmiter perstiturum declaravit. Refert inter alia: Se de S. Cœnâ ita sensisse, antequam Witebergam Concordiæ causâ iter fecerit atque ita sensurum, dum viveret. Edidit hanc suam sententiam scripto Anno 1554. quod deinceps typis impressam Witebergæ, & à Wendelino Schrempio, in Germanicam linguam translatum est. Cum Anno 1541. juxta collegas ad Comitia Ratisbonensia missus esset, negotium Conrado cuidam Schaffnero Ecclesiæ in Ulmensi Vico, Meringâ, Pastori datum est, ut usq; ad reditum illorum Ulmæ in sum̃o templo concionaretur. Is cæteroquin erat homo indoctus. Sed in vulgus πειθανὸς magnâ loquentiâ præditus & animos movere gnarus absque ullâ rhetoricæ scientiâ. Quâ facultate fretus non magni faciebat doctissimos etiam Viros, Hinc magni concursus fiebant ad ejus

Con-

Conciones hominum è vulgo, vivum Prophetam dictitantium. Quæ ſtultitia multorum illo poſt reditum Theologorum in nidum ſuum retruſo non tamen ceſſavit. Sed aliquandiu Möringam etiam ad ſesquimilliare peregrinatio ipſorum duravit. Tempore autem poſtea periculoſo homunculus ille, ut locum ſuum retinere poſſet temporariam religionis formulam, Interim, amplexus eſt. vid. Cruſ. Anal. Libr. XI. P. III. p. 647.

De Actis Irenicis atque Interimiſticis.

§. 8.

SOlet humani generis hoſtis orienti Evangelico ſeſe primùm opponere pelle leoninâ, hoc eſt externâ violentiâ. Ubi verò deſinit illa vulpinam, rectius ſerpentinam, aſſumit, & rem fraudibus ac dolis agere inſtituit. Quo pacto mixturam veritatis atque errorum molitur. Palliat, pingit atque incruſtat falſa dogmata, ut ſi non pro veris agnoſci valeant, ſaltem appareant tolerabilia. Fecit id Infernalis Draco etiam in Charitinia noſtra. Quam primum enim Tyrannis illa conſcientiarum, quæ ſub regio dominatu viguerat, ceſſavit, Syncretiſmum invehere conatus eſt. Primò namque Schwencfeldio portam aperire tentavit, qui nobilium quorundam ſibi affinium favore ſuffultus Tubingæ colloquium cum Erh. Snepſio, Ambroſio Blaurero & Martino Frechto habuit, Pædobaptiſ-

An. 1544. usque 1548.

baptismum cum S. Cœna, & Ministerio Ecclesiastico convellere satagens. Excluso illo per divini Numinis gratiam, Cinglianismus radices agere cepit. Cum verò & is in herbâ opprimeretur, Papismum, qui per anticam dimissus erat, per posticam reducere allaborabat Princeps tenebrarum. Hinc An. 1544. agitata fuere consilia de componendis dissidiis religionis, suamque de hâc materiâ sententiam scriptis exponere jussi sunt Erhardus Snepfius; Paulus Constantinus Phrygio (Seiden-Sticker) Balthasarus Käuffelin; Jacobus Rath / Pastor Neostadiensis, Benedictus Burgoverus Tuttlingensis. Georgius Schnizerus, Kircho-Teccensis; Wernerus Keller / Marpacensis; Georgius Hala Waiblingensis; Marcus Hailandus, Calvensis; Wenceslaus Strassius, Uracensis, Casparus Græterus Cantstadiensis & Andreas Cellarius, Wildbergensis Pastor, cujus præ cæteris memorabilis est animadversio de Ceremoniis quam ipsius formalibus addere placet: Wo man nun / ait, in diesen Hauptstucken ein Concordi hätte; Solte Ungleichheit der Ceremonien und äussern Bräuchen kein discordi und Uneinigkeit machen / sondern vielmehr zu Aufbauung wahren Glaubens dienstlich seyn / dann wie man gar leichtlich auß den Historien der alten Kirchen sehen kan / sind die Ceremonien und äussere Bräuche nie in grössere Ungleichheit gestanden / dann eben zu den Zeiten / da die rechten Hauptstück Christlicher Religion in größter Einhelligkeit gewesen. Und aber seither haben die Ceremonien nie grössere Gleichheit gehabt / (wiewohl sie nie an allen

gar

gar gleich sind gewesen/) dann eben zu diesen Zeiten da die Hauptstück Christlicher Religion schier gar verfallen. Da muß dann schier jederman in solchen falschen Sinn gerathen/ daß solche Ding für den rechten Gottesdienst sind gehalten worden/ und daneben der Hauptstück schier vergessen. Itaque consensere omnes ferè: Nihil posse concedi Pontificiis, nisi innoxias quasdam cerimonias. Articulum verò Justificationis per solam fidem strictissimè retinendum & missam cum appendiculis suis penitus abolendam. Fuit hæc imprimis sententia Georgii Halæ, cujus consilium B. L. inter documenta communicandum duximus. Iidem mentem suam circa institutionem legitimi Concilii aperuerant, jam antea Anno 1541. inter quos Wenceslaus Strauss, Pastor Uracensis, brevissimis se expedivit, ad B. Lutheri libellum de Conciliis editum provocans, cui nihil, quod addi deberet, se quidem scire professus est.

Insecuta autem est paulò post omnium rerum inopinata conversio. Illigaverat se Dux Ulricus fœderi Smalcaldico, suasque copias ad viginti quatuor signa peditum ad 8000. equitum verò ad 800. & in his ex nobilitate complures cum civitatibus primùm; deinde cum Electore Saxoniæ & Landgravio Hassiæ cæterisque conjunxerat. Rebus autem malè gestis à Fœderatorum partibus, Imperator Carolus V. Albanum cum exercitu in agrum Wirtebergicum immisit, qui deditione captis aliquot locis multum damni dedit. Ulricus Princeps in arcem Tuelam extra regionem altissimo & prærupto monte positam sese recepit & ex itinere, quum *An. 1547.*

Cæsaris

Cæſaris ei redditæ eſſent literæ 20. Decembr. illi ſuppliciter & demiſsè admodùm ſcripſit. Pari ratione Fridericus Elector Palatinus à Cæſare veniam delicti petierat, quem acribus verbis excepit Imperator & enumeratis, quæ in ipſum contuliſſet, beneficiis graviter incuſavit; Veruntamen ignovit & ut hunc errorem atque culpam in poſterum accuratiore fide compenſet, hortatus eſt. Palatino deinceps ſolicitante etiam Princeps Ulricus reconciliatus fuit Cæſari, ſed duris ſat conditionibus, quæ ex parte tantum leguntur apud Sleidanum Comment. Relig. p. m. 300. b. Acta hæc ſunt Anno 1547. Inſequente anno Interreligio paſſim introducta, quam Interim vocabant. Eam Dux Ulricus pro ſe quidem nequaquam approbavit. (a) Attamen cum in agro ejus paſſim prædiſia Hiſpanorum eſſent, librum jam editum pro concione recitari jubet, & ne quis contra faciat, edicit, & ſi quis in poſterum miſſificare velit poteſtatem facit, & ſuis, ne quem ſacrificium prohibeant, mandat. (b) Tacitè tamen in ipſo edicto verbis prægnantibus animos addit ad conſtantiam in agnitâ veritate; Juſſit quippe unum quemque ita docere, quemadmodum coram Deo ejus rationem reddere ſperet, vel ſuſtineat: Wie ein jeder das hofft und getraut gegen GOtt zuverantworten; quæ verba majuſculis literis erant ſcripta. Ceremonias etiam eas tantum recipere juſſit, quæ idololatriâ & ſuperſtitione non ſint imbutæ & inter adiaphora pertineant. Præterea non nemo latinam promulgationis

An. 1548.

(a) *Vid. Oſiand. Hiſt. Eccl. Cent. XVI. P. I. p. 493.*
(b) *Sleidanus, Cruſius.*

nis edicti Cæſarei à Principe mandati excuſationem ſubjunxit: Tolerare Principem affirmans, quæ vellet abolita & ad quæ ſervanda neminem cogat, ſed unumquemque ſuo relinquere judicio, cujus nôrit ipſe rationem reddere coram juſto judice in illa die Tolerando igitur non poſſe â quoquam impietatis & ab Evangelio defectionis etiamnum incuſari, quem Chriſtus in verâ fide confirmet. In fine tandem erat adjectum: Fugite idololatriam. Hæc ex G. Thummii Chronico Manuſcripto, qui integrum mandatum exhibet infra recenſendum. Publicatâ Cæſareâ declaratione Eccleſiarum & Scholarum Miniſtri fidi & ſinceri propter metum Cæſaris ab officio dimiſſi quàm plurimi, qui partim in Ducatu permanentes cum uxoribus & liberis ex ædibus parochialibus pulſi privatim vixerunt, donec Anno 1550. Dux Chriſtophorus mortuo Duce Udalrico patri in adminiſtratione Ducatus ſuccederet. (c) Partim extra Wirtembergiam ſe contulerunt, inter quos erat Erhardus Snepfius, qui aliquandiu hoſpitio exceptus à Nobili Eberhardo de Gemmingen in Creichgovia, Bürgi habitavit, Joh Gaylingius, Weinſpergâ pulſus, Georgius Hala, qui in Saxoniam abiit. Non pauci, qui in Sueviâ paſſim Evangelium purè docuerant, in Helvetiam digreſſi, relictâ Lutheri ſententiâ ad Zwinglianos defecerunt & in ipſorum Eccleſiis functionibus impetratis, publicis poſtea ſcriptis, errorem Sacramentarium defendendum ſuſceperunt; ſi Hoſpiniano fides. vid. Hiſt. Sacram. P. II. p. m. 203. b. ubi & Brentium ſuggillat, quod tùm temporis nullam litem moverit

(c) *Fam. Andrean. p. m. 27.*

de re Sacramentaria, sed potius Helvetios laudaverit & Calvini amicitiam studiosè quæsiverit quo fine literas à Brentio ad Calvinum datas adducit. Enimverò Calvinus eo tempore nondum erat is, quem se postea cum scandalo Ecclesiæ professus est, ut vel ex Hospiniano ipso probari potest. Cæterùm hoc ipso Anno circa Autumnum restituti sunt passim in latibula sua cum Monachis Abbates & Ecclesiis Sacrificuli, lupi, homines levissimi ac turpissimi. Quibus passim colligendis Præfectus Bietigheimensis strenuam operam navavit; & quanquam ejus opera pauci numero sacrificuli collecti fuerunt, causam tamen dederat, quod multi boni ac eruditi viri ad extraneos se contulerint nunquam redituri. Unde à D. Knodero graviter fuit increpatus. Huic adjunctus erat D. Johannes Offterdingensis, Canonicus & Ecclesiæ Stuttgardianæ Decanus cum Valentino Vannò & Georgio Schnizero, qui animos Ministrorum Ecclesiæ solicitarent: Num juxta declarationem imperialem Ecclesiis suis inservire vellent? Iisdem cum quoque nobilis Vir Joannes Theodoricus à Plieningen pius Consiliarius adhiberetur, postquam vidit, quò res evaderet & ad detrimentum Ecclesiarum Ducatus cederet, pedem revocans, nequaquam amplius huic deliberationi & his actionibus interesse voluit. Cum enim passim Ecclesiis missifices essent præfecti, deliberatum est, ut his adjungerentur, quos Prædicatores Collegiorum appellabant, Ministri, qui puritatem doctrinæ sine refutatione errorum Pontificiorum simpliciter traderent. Die man Interims-Prediger genennt / donec Concilium celebraretur,

tur, in quo controverſia religionis inter Papiſtas & Lutheranos tolleretur. Inter præcipuos illius Interimiſticæ doctrinæ aſſeclas erant, qui in Scholâ Tubingenſi docebant & aptè Pontificiam religionem profitebantur, Dn. D. Balthaſarus Käuffelin, Profeſſor Theologus, qui ſacras literas ſub Imperio Ducis Udalrici poſt repurgationem Eccleſiarum factam profeſſus eſt. D. Joh. Sichardus, D. Caſpar Vollandus, D. Gebhardus Bruſtbergerus, Juris Profeſſores, D. Michaël Ruckerus Medicinæ Profeſſor & Matthias Garbitius Illyricus, qui ſuperiorum authoritate quaſi diluvio ad illorum partes ſectandas pertractus eſt. Denique Johannes Meſchius, qui Prædicatorem Interimiſticum egit, cæteroquin vir optimus. (d) Saluti tamen fuit univerſo Ducatui, quod penuria ſacrificorum erat; unde tantum in præcipuis locis Interreligio fuit inſtituta. In pagis & oppidulis tenuioribus Evangelici Paſtores præter ſpem permanſere. Accidit illud inter alios Chriſtophoro Bindero, qui Grezingæ tum docebat. Allatum nempe & ibi edictum fuerat, ut vel præſcriptam ab Imp. formulam ſequeretur, aut cathedrâ penitus abſtineret. Magno id & intrepido ſuſcepit animo, cum quidem nullâ re magis quàm numeroſâ ſobole, decem nempe liberis, abundaret. De diſceſſu igitur & alio vitæ genere ineundo jam planè ſecum conſtituerat, ſed à quibusdam admonitus, ne abitum accelerasset, aliquandiu ſubſtitit. Tandem etiam cum nullus appareret miſſifex, à plebe exoratus, conniventibus iis, quorum intererat,

(d) *Fam. Andrean. l. cit. p. 26 ſeq. 32.*

ad intermiſſum docendi munus rediit. Eâ tamen moderatione ſeu cautione adhibitâ, ut ſuggeſtum non conſcenderet, ne limites mandati excederet, aut in præſcriptam legem peccâſſe redargui poſſet. (e) Pari modo Jacobus Andreæ, qui propter repudiatum Interim Stuttgardiâ Tubingam conceſſerat, à leproſis per uxorem rogatus ſingulis diebus Dominicis ac feriatis conciones in ædiculâ Noſodochii extra urbem habere cepit, quem euntem ac redeuntem Viri eruditi ac pii cum ſtudiosâ Juventute comitati ſunt. Anno demùm 1549. cum Brentii conſilio Uraci concionatus eſſet, Tubingam remiſſus Catechiſtæ officium in ſummo templo ad D. Georgium & D. Martinum peregit, ubi pariter ſuggeſtum illi aſcendere non licebat, ſed ex inferiore ſede in medio templi collocatâ capita Catechismi explicabat. Eodem enim tempore paſſim in pagis pii paſtores reſtituebantur, qui in Ducatu permanſerant. (f) Ita ſatisfactum erat utcumque Cæſari, & veritas ceu preſſa ſub pondere palma lætius efflореſcebat. Cumque ſacrificuli in ſummo populi odio & contemtu verſarentur (erant enim ut ſupra diximus homines diſſolutiſſimi,) atque illis ſalaria parcè & tardè ſubminiſtrarentur, quidam è Ducatu Wirtembergico ultrò diſceſſerant, neque ſuis miſſificationibus & Concionibus ineptiſſimis multum damni Eccleſiis Wirtembergicis dederunt. (g) Non parum huc contulit prudentia & Zelus alterius Præfecti, nimirum Stuttgardiani, Hippolyti Rœſchii, poſtea Directo-

(e) *Or. Bindero hab. p. m. 17.*

(f) *Fam. Andrean. p. 34.*

(g) *Oſiander. l. cit. p. 493.*

Directoris. Petierant sacrificuli ab Ulrico Duce supplice libello, ut liceret eis Stuttgardiæ commorari & sacra facere. Id nec negare audebat Princeps metu Cæsaris, neque permittere per conscientiam. Itaque mandatum Röeschio datur hisce verbis: Du magst sie allda lassen. Ipse vero styli Curiæ apprime gnarus lepidum dedit responsum: Ich mags aber nicht. Eosque salarii detentione ad discessum compulit. (b) Tandem & illud notari meretur, quod Princeps Ulricus mediis in turbis Ducatui diversos Doctores fuerit lucratus. Brentio quippe Hala Suevorum profugo hospitium obtulit, & sicut Abdias Prophetas Domini tempore persecutionis sub idololatriâ Ahab abscondidit, clementer officiis tanto Principe dignis fovit & certo occultari per intimum suum Secretarium, Jacobum nomine se inscio voluit, ut cum sciret eum in Cæsaris indignatione esse, interrogatus fide datâ & religione jurisjurandi affirmare posset: Se ubinam locorum esset ignorare. Et prudentem Principem non fefellit animus. Cum enim sub id tempus pius quidam in arce Wirtemberg Præfectus ageret: qui vicinos Pastores ad se evocabat, suspicio frequenter primum, mox ex suspicione rumor subortus est Brentium illic latitare, quem ministri salutatum accedant. Id ubi cuidam, qui omnia Cæsaris agebat nomine, renunciatum esset, illicò commissarium cum mandatis ad Ducem mittit, qui è præsidiis nocte intempesta militum manum cogit, arcem circumdat, ipse recta ad Principem contendit & noctis concubio Cæsaris nomine

(b) *Vid. Hipp.* Röschen/ *Conc. Fun. à Joh. Magiro hab. p. m. 23.*

mine Principis colloquium poſcit. Princeps eo cognito exponere mandata jubet. Ille ſignificat inaudiſſe Cæſarem, quendam hoſtium ſuorum in arce Wirtembergâ latitare, velle itaque ut nulla interpoſitâ morâ arx aperiatur. Princeps eo cognito ſuum à ſecretis qui ſolus rei conſcius erat accerſit, interrogatque: Num illic Brentius eſſet, necne? negante illo: iterum quærit: Certone ſciat? illo affirmante permittit Princeps, ut Legatus arce apertâ quærat, ſi quem inveniat. Fuit autem tum Brentius non in arce Wirtembergâ ſed in Wittlingenſi, ubi commentatus eſt in Pſalmum 93. (i) Hâc igitur ratione Brentius Wirtembergiæ devinctus fuit. Sed & alium Princeps ad ſe recepit, nempe, Matthæum Aulberum, Virum eximium, Reutlingâ propter cothurni Auguſtani averſationem dimiſſum, quem Antiſtitio Cathedralis Eccleſiæ hactenus à Canonicis Pontificiorum poſſeſſæ præfecit, de quo mox plura erunt dicenda. Sed & Martinum Cleſſium Cantſtadio ejectum Stuttgardiæ Superintendentem ad D. Leonhardum conſtituit, cum Vannius, qui ſcriptis Interim oppugnaverat, cedere cogeretur.

Cæterum civitates Sueviæ omnes illam interreligionem receperunt. Auguſtæ Vindelicorum Wolffgangus Muſculus primi nominis Eccleſiæ Miniſter, cum timidè Senatum agere videret, neque librum approbare poſſet, diſcedit Bernam Helvetiorum profectus. (k) Halâ Suevorum non Joannes Brentius ſolùm, ſed & Joannes Iſenmannus, qui cum illo Interim refutârat, exul factus. Eislinga

d. 22.

(i) *Heerbr. ap. Melch. Adami. p. m. 213. ſeq.*
(k) *Sleidanus. p. m. 335. b.*

d. 22. Junii Sphingem admisit. Reutlingâ d. 25. Junii, amisso propter illam Matthæo Aulbero. Memorabilis tamen est Archigrammatei, M. Benedicti Grezingeri constantia, qui cum Cæsar formulæ interimisticæ receptionem urgeret concionem civium suorum inter alia multa his verbis conceptis est adhortatus: Kayserl. Majest. Will und Meynung ist / auch bey Vermeidung ihrer Kayserl. Majest. hoher Straff und Ungnad ernstlich und vestiglich gebeut: Daß hinfüro alle und jede Stände deß Reichs niemand außgenommen / alle und jede alte und lang hergebrachte Ceremonien und Gebräuche von den Päpsten und Concilien eingesetzt / (als Meßhören / Beichten / Fasten / Vigili singen) halten / brauchen / üben / und alles wiederum in alten Stand stellen / nichts davon außgenommen und hindangesetzt / welchen jetztermeldten beschwehrlichen Abschied der Churfürst von Sachsen sammt seinen verwandten Fürsten / als wider die Ehre GOttes nicht annehmen / noch darein keines wegs bewilligen wollen. Welchen Abschied auch groß und klein Rath dieser Statt Reutlingen / durch ein einhelliges mehrer (per majora) außgenommen biß auf zween oder aufs höchste drey Mann / auch nicht annemmen / und wie billich nicht bewilligen / aber doch darneben dem Kayser was dem Kayser zugehört geben / und GOtt was GOtt gehört / geben wollen / rc. Welcher nun deß Menschen Gebott / für GOttes Gebott halten und annehmen will / der soll billich betrachten den

Spruch Jeremiæ 17. Verflucht ist der Mensch/ der in den Menschen vertraut und der das Fleisch zu seinen Armen setzt. etc. Wir sollen uns billich auf ihn vertrösten und nicht fürchten / was uns der Mensch zufügen werde. etc. vid. Cruſ. Annal. in Paralip. p. m. 60. Nördlingensibus obtrusus fuit Missifex. Quo sacris operante textorii pueri per fenestram Templi lapides contra eum in altare projiciebant. Nemo ingrediebatur. Ideò nec ipse diu manere potuit. Biberaci Consulares viri & Senatores, qui Interim recusabant, loco moti fuerant, nempe Vitus Boecklinus & Johannes Egelsbachius qui recipiendi olim Evangelii suis civibus Authores fuerant. Ravenspurgi Petrus Sonnerus idem passus. Memmingenses amiserunt Bartholomæum Bertelinum, qui An. 1552. fuit restitutus & An. 1563. mortuus, Vir de illâ Ecclesiâ optimè meritus, cui Evangelii causâ exulanti benignum hospitium præbuit nobilis genere & pietate Vir, Theodoricus à Gemmingen. Apud Ulmenses dimissi sunt circiter XL. ministri Ecclesiæ; novem verò novam religionis formulam sunt amplexi. Cogebantur itaque Interimistæ binas quaternas senas parochias administrare. (l) Sequentes jussu Cæsaris comprehensi sunt, qui Interim recipere nolebant, Martinus Frechtus, Martinus Rauberus, Bonaventura Stelzer, Jacobus Spiessius; Georgius Fiessius. Catenis vinctos & curru impositos Spiram deduci jusserat Imperator, sed Ulmenses duos è Consulibus ad Cæsarem misserunt, qui ut Kirchemium tantum aveherentur, precibus obtinue-

(c) *Cruſ. Annal. P. III. p. 668. 670. 683.*

obtinuere. Post aliquot mensium captivitatem d. 3. Martii, anni sequentis libertate donati sunt citra lytrum, interdictâ tamen eis civitate Ulmensi, à qua per octennium exules fuere. Ad ultimum cessante interdicto Frechtus paulò ante obitum mense Julio patriam & amicos revisit. vid. Dietrichs Ulmische Jubel-Predigt p. m. 21. 23. Constantia, quæ diu constans manserat, tempore Interimistico proscripta, quum in magnis esset angustiis, neque salutis ullam viam videret, ad extremum refugium decurrens Austriacæ domui sese dedit in perpetuum, amissâ simul libertate & doctrinæ veritate. Itaque multi, qui religionis immutationem jam ante deditionem factam non probabant, aliò se contulerunt. In his erat Ambrosius Blaurerus, Ecclesiæ præcipuus ibi minister. Lindavienses, qui sunt contra Constantiam ad alteram partem lacus, masculè quidem antea Cæsari responderant, nunc autem vicino territi exemplo decretum Religionis & ipsi recepére. (m) Firmiores longè fuerunt Leutkirchæ Imperialis oppidi Cives: Iis non exiguum veritatis desiderium natum est post editam An. 1530. Augustæ Evangelicorum Confessionem, cepitque cum Constantiensibus Evangelii præconibus, nominatim Joh. Snellero, communicari. Verum acriter restitit Joh. Faber, Leutkirchæ natus, Episcopus postea Viennensis, cujus authoritate factiones in urbe excitatæ sunt, quibus usque ad An. 1546. publica reformatio impedita, quo Cives Melchiorem Baronium Consulem, qui veterem superstitionem tuebatur, adorti libertatem religionis Evan-

(m) *Sleidanus, p. m. 342.*

gelicæ tàm acriter flagitârunt, ut Consul unà cum fratre ex urbe secederet. Amotis itaque, qui maximum præbebant obstaculum, in æde S. Martini Evangelicæ Conciones haberi ceperunt, impetratusque est ad biennium à Memmingensibus Joh. Schalheimerus, cujus piâ operâ cives ad veram religionem conversi sunt. Anno 1548. prævalente per Germaniam potentiâ Cleri Pontificii & publicato edicto Carolino missus Leutkircham à Cæsare Henricus Haasius, Pro-Cancellarius, nihil omisit persuadendo & comminando, ut cives ad vetera sacra reduceret; cum verò nihil efficeret, procuravit ut reditus ecclesiastici, quos urbs in vicinis pagis Austriacæ ditionis, sive in præfecturâ provinciali percipiebat, retinerentur & parochis pontificiis assignarentur. Alio quoque modo civibus multiplex molestia creata est, ita ut An. 1549. parochiali Templo S. Martini cedere coacti fuerint; & Schalheimerus Memmingam redierit; sic toto biennio nullus fuit in urbe cultus Evangelicus quem Anno 1551. demùm continuis solicitationibus Ducis Christophori obtinuerunt. (n) Plura autem de Leutkirchensibus infra.

De Formâ,

Status Ecclesiastici in Wirtembergiâ.

§. 9.

CUm Princeps Ulricus reformationem inchoâsset, duos Superintendentes instituit, eosque generales;

(n) *Seckendorff, Luther. P. III. p. m. 664.*

les; Erhardum Snepfium, qui inferiorem Ducatus distrìctum in ordinem redigeret & Ambrosium Blaurerum, qui superiorem (ob der Steig) quæ ad campestria, Alpes & Hercyniam Sylvam spectant, sub curâ & Inspectione haberet. Quoniam autem A. Blaurerus ad Cinglianismum vergere ceperat, bonâ cum gratiâ dimissus est, & Snepfius solus remansit, Stuttgardiæ & totius regionis Inspector Generalis. Ab iis constituti sunt hinc inde Pastores, ita tamen, ut ubivis Consiliarii Politici nomine Principis adessent. Sic Anno 1537. Martino Clessio Göppingam evocato Parochiam cum pertinentiis tradiderunt visitatores: Georgius de Aw in Zimmern. Martinus Nuttel, Stuttgardianus, Erhardus Snepfius & Ambrosius Blaurerus. vid. Crus. P. III. p. 685. Ab iisdem haud dubiè introducti sunt Georgius Schnizerus, Kircho-Tecciæ; Wenceslaus Strauss Uraci; Casparus Græterus, Cantstadii; Marcus Hailandus, Calvæ; Wernerus Kellerus, Marpaci; Leonhardus Werner, Waiblingæ. Jacobus Rath, Neostadii; Benedictus Burgoverus, Tuttlingæ; Andreas Cellarius, Wildbergæ; Ivo Heinzelmannus, Neopyrgi; Valentinus Vannius, Backnangæ; Johannes Gaylingius, Weinspergæ; Arsacius Seehoferus, Winnidæ; Balthasarus Himmelbergerus, Schorndorffæ; Paulus Constantinus Phrygio, Tubingæ; Georgius Binderus, Grezingæ; Casparus Thummius, Wolffschlugæ; Jodocus Neobolus, Entringæ; & sic porro. Ex istis Ivo Heinzelmannus & Valentinus Vannius Stuttgardiam Anno 1538. acciti sunt, ut Erh. Snepfium in Ministerio adjuvarent, quibus additi

sunt

ſunt duo Diaconi, Vitus Angelus, poſtmodum Superintendens Wilenſis in Sylvâ, & Johannes Fabricius. de quo P. I. p 42.

Iſti quinque verbum Domini annunciârunt in metropoli, & quidem in templis tantum ſuburbanis, Xenodochiali præſertim & eo, quod eſt ad D. Leonhardum. Illud ædificari cœptum erat Anno 1473. à Monachis Ordinis Prædicatorum, qui Noribergâ venerunt, & aream iſtam ab Ulrico Beneamato, Wirtembergiæ Comite, obtinuerunt. Ibi in pariete cœnaculi æſtivalis hi leguntur verſiculi:

Bis ſeptingentis decies ſeptem tribus annis:
Sol in virgineos poſtquam ſe contulit artus
Lapſus: Et Ulricus pater hic Comitumque Ducumque
Hoc dedit eſſe ſacrum Mariæ venerabile ſeptum:
Ordinis & noſtri prædictum contulit eſſe.

In aditu Chori, in quo utrinque ſuperſunt ſubſellia Priorum totius Ordinis per Germaniam, à ſiniſtris effigies S. Pauli affabre in ligno cælata extat cum epigraphe: Per hunc itur ad Chriſtum. Ex oppoſito à dextris verò Imago S. Dominici, Prædicatorum Patriarchæ, roſarium & librum tenentis & ex vite ſubtus ſculptâ, quaſi enaſcentis; In quem S. Paulus digitum intendit cum lemate: Sed magis per iſtum. Ita nimirum D. Paulò, miſerum roſarii inventorem præferre non dubitârunt Monachi. Ejus monaſterii incolæ jam ante reformationem ſeſe reddiderant exoſos per bellum plus, quàm Grammaticale, quod univerſus Ordo Johanni Capnioni, Germaniæ Præceptori,

ceptori, moverat. Unde Reuchlinus, qui eis usque adeò fuerat addictus, ut ſepulcrum in circuitu dicti Cœnobii Stuttgardiani ſibi deligeret jamque cippum literis Hebraicis, Græcis atque Latinis inſcriptum, qui etiamnum cernitur, fieri curâſſet, corpus ſuum in ædibus Leonhardinis humari deinceps voluit, ubi Epitaphion ejus à Joanne Alexandro Braſſicano compoſitum legitur. vid. Cruſ. P. III. p. m. 577. Extructum eſt Templum Leonhardinum An. 1475. in quo Evangelium prædicari cepit, eodem tempore, quo in Xenodochiali.

Primarium verò Urbis Templum Pontificii adhucdum tenebant, quod vulgò Eccleſia Cathedralis (Die Stiffts-Kirche) vocatur, tametſi (uti probè obſervavit Oswaldus Gabelcoverus, rerum illarum peritiſſimus,) non fuerit propriè Cathedralis, ſed Collegiata S. Crucis, quod ipſum oſtendit diploma An. 1464. datum à Pontifice Pio II. (Ænea Sylvio,) & à Cruſio exhibitum l. c. p. 413. Tranſlata erat Beutelſpaco Stuttgardiam An. 1321. ab Eberhardo illuſtri; cumque lignea prius fuiſſet, Anno 1460. quadrato lapide condi cæpta eſt; cui Anno 1490. turris major acceſſit uno tantum coronide ornata, cui ſucceſſu temporis adjecti reliqui duo. Eum in finem diplomata obtinuerant à Pontifice, ut pecuniam paſſim colligerent. Obſervatum verò eſt, quod ab eo anno, quo B. Lutherus theſes contra indulgentias Witebergæ affixit, eleemoſynæ, quæ ſingulis hebdomatibus 80. vel 90. florenorum ſummam confecerant, vix ad ſex aut novem florenos deinceps redierint. Collegium illud Stuttgardianum Beutelſpaci conſtiterat uno Præpoſito,

posito, sex Canonicis & totidem Vicariis, quibus Eberhardus illustris adjecit 6. Canonicos & sex Vicarios cum duobus Præpositi Diaconis], qui sacramenta administrarent, præter alios Diaconos, vel Capellanos, & matutinos missifices, qui & ipsi salaria in Collegio habebant, & (ut in Manuscripto legitur) non nunquam viginti erant numero. conf. Crus. Part. cit. p. 210. 213. Quod si addamus Prædicatorum Ordinis Monachos, minimum sexaginta Viri Ecclesiastici Stuttgardiæ sub Papatu fuerunt eo tempore, quo vix ac ne vix quidem dimidiam partem civium urbs capiebat atque in hunc diem. Ex adverso Evangelii Orientis ætate, quini Verbum & Sacramenta administrabant supra memorati, quibus Anno 1548. accessit, Matthæus Aulberus, Antistes Ecclesiæ Collegiatæ factus, & post mortem Præpositi è Pontificiis ultimi, Johannes Brentius Anno 1551. Præpositura admotus. Itaque in universum septem Ministri Dei, pro sexaginta otio & luxui deditis Papæ servis, Ecclesiam Christi Stuttgardiæ plantârunt & propagârunt usque ad Anno 1618. quo crescente civium numero Diaconus in Xenodochio primùm constitutus fuit, & Anno 1656. alius ad D. Leonhardum; Adjectus tandem est circà Annum 1690. Præco Gallicus, qui ab initio in templo Xenodochiali concionari solebat, hodiè verò peculiari gaudet capellâ.

De cætero Pastores sub initia reformationis in præcipuis oppidis circa Annum 1544. reliquorum in rure docentium Inspectores, (qui recepto inter nos vocabulo Speciales vocantur,) creati sunt. Eorum magna olim erat existimatio; Etenim, si quid

gra-

gravius circa religionem in deliberationem veniret scripto mentem suam declarare jubebantur, quod factum Anno 1541. in materiâ de componendis dissidiis religionis, & Anno 1544. in materiâ de instituendo Concilio. Viguit mos ille adhucdum sub Duce Christophoro, qui cum à Bartholomæo Hagenio Cinglianum dogma de S. Cœna amplexo, confessionem scriptam exegisset, Anno 1559. ejus copias ad omnes Generales & Speciales Superattendentes eorum censuram scriptam requirens transmisit. Quas simul omnes cum accepisset, & omnium & singulorum pium consensum in veritatis doctrinâ conspexisset Synodum indicit, adquam commemorati Superintendentes Stuttgardiam vocantur. Et simul omnes etiam Professores Theologi ex Academiâ Tubingensi accersiti sunt. vid. Fam. Andrean. p. m. 95. Sed & bis in anno Ecclesias suæ curæ demandatas atque illarum Pastores visitârunt; Id quod Nobilium nonnullorum interventu jam per seculum cessavit, relictâ semel Ecclesias obeundi annuâ consuetudine, haud equidem absque ratione, cum nonnulli amplis admodum diœcesibus præsint, quas pluries obire uti molestissimum, ita oppidanis Ecclesiis ipsorum vix foret proficuum.

Generalium porrò Superintendentium quaternos hic Ducatus sapientissimè & laudatissimè (sunt verba A. Osiandri,) in Ecclesiâ & Politiâ constitutus habet; Quorum hæc est provincia, ut non quidem oppidatim aut vicatim circumeant & Ecclesias certas visitent Sed visitationum relationes à Specialibus sibi traditas legant & examinent, necessaria ex illis capita extrahant, Synodo in Consistorialium &

Gene-

Generalium semestrali (nam bis olim coibat) conventu proponant & cum aliis quid factu opus sit, decernant. Sectarios item ac dissolutioris vitæ homines in quibus inferiores deficiunt, in viam & ad frugem perducere laborent. vid. A. Osiandri Orat. de Vita & obitu Joh. Mag. p. m. 17. conf. Dn. Heermanni Orat. Bindero hab. p. m. 21. De hâc autem dignitate notandum, quod olim nulli certo loco fuerit affixa. Sic Generales Nürtingæ fuerunt Theodoricus Snepfius & Binderus, Senior. Johannes Magirus Vaihingæ; Idem Snepfius Tubingæ & ante illum Johannes Isenmannus; Derendingæ Hainlinus.&c. Posteà tamen Abbatiis fuit connexa, sed ita, ut pro ratione temporis, & quidem præcipuè post occupationem Claustrorum à Monachis An. 1634. factam in Pastores præcipuorum oppidorum fuerit revoluta, quemadmodum ex P. II. Memor. patet. Hodienum eò res devenit, ut qui summis jamdum in Ducatu officiis præsunt, Generales quoque Inspectores simul agere ament, quo ipso etiam evadunt certorum Monasteriorum Abbates, nimirum, Adelbergensis, Bebenhusani Denckendorffensis & Maulbronnensis. Eorum major olim erat dignitas, quàm Generalium. Literis quippe suis more in Papatu consueto etiamnum præfigere solebant hæc verba: Von GOttes Verhängnuß; Von GOttes Gnaden; Cum tamen ex adverso Generalium in quibusdam major videretur authoritas, prudenti consilio utrumque officium fuit combinatum. Adeoque primas constanter ferè tenet Abbas Bebenhusanus; Diœceseos Tubinganæ Inspector. Secundas plerum-

que Abbas Maulbronnensis Ecclesiæ Stuttgardianæ Visitator. Tertium & quartum locum Denckendorfensis & Adelbergensis tuentur, pro ratione receptionis aut aliarum circumstantiarum jam hic, jam ille Superior.

Abbatum quatuordecim superesse diximus supra; Illi omnes sunt Principis Consiliarii Jurati & Procerum Ducatus Adsessores, quos Status Provinciales appellitant Hi veteri instituto non sacra tantum tractant, sed & ad consilia (Politica) & deliberationes publicas adhibentur, & in conventibus (in den Land-Tågen) honoratiorem locum obtinent. Ad eum planè modum, ut & Prophetæ olim in Dei populo à piis regibus in arduis suorum regnorum negociis consulti fuere. vid. D. Heermannus l. c. p. 27. Ex iis quaterni reliquos antecellunt, utpote allecti in Senatum Provinciæ Delectûs Arctioris & Majoris (Engern und grössern Außschuß) quem utrumque Anno 1554. Dux Christophorus introduxit, vid. Crus. Annal. p. 692. & Ephemerides Wirtemberg. p. m. 77. Bini quidem in Arctiori, qui maximæ est authoritatis. Cæteri duo in Majori. Neque interest: Utrum Generales illi sint, necne? Communiter tamen unus Generalium est in primo, & alter in secundo.

Summa tandem rei Ecclesiasticæ est penes Ducale Consistorium à Duce Christophoro formatum, Anno 1551. constans regulariter septem personis, Præposito; Directore; Antistite Cathedrali, binis Concionatoribus Aulicis; Advocato Fisci Ecclesiastici; & Secretario Directores sacri hujus Synedrii inde à tempore reformationis fuere ex Politico-

 rum

rum Ordine ſequentes : Sebaſtianus Hornmoldus ; N. Schlezius. Hippolytus Rœſchius ; Johannes Enslinus ; Johannes Reinhardus ; Balthaſarus Eiſengreinius ; Joh. Georgius Hüngerlinus ; Ulricus Brollius ; Samuel Hornmoldus ; Nicolaus Myler ab Ehrenbach ; Wolffgangus Adamus Lauterbachius ; Andreas Bardili ; Joh. Georgius Culpiſius. Joh. Georgius à Rühle. Hodie munus iſtud in perſonam Eccleſiaſticam tranſiit, Dominum Johannem Oſiandrum, Abbatem Hirſovianum. Præpoſiti Stuttgardiani, ab Anno 1551. Evangelicorum haud plures fuere, quàm ſeptem. Illorum officium eſt Sacro Conſilio præeſſe, Academiam Tubingenſem, Stipendium Ducale, Abbates cum Scholis Monaſticis viſitare, & cauſis matrimonialibus decidendis intereſſe ; Habent quoque Seſſionem & votum in Conſilio Principis Intimo. Idque munus inter Evangelicos primus geſſit Johannes Brentius, de quo jam plura.

De Johanne Brentio.

§. 10.

MEmoriam ejus præter veteres Jac. Heerbrandum, Melchiorem Adami, qui Heerbrandi Orationem exhibet, & recentiores, P. Freherum, (quem ab initio nos ſecuti ſumus, inſertis tamen hinc inde nonnullis & ubi deſinit ille, plurimis adjectis, ut inſpicienti patebit) atque D. Jo. Fechtium, Dominus Joh. Balthaſar Beyſchlag Hal-

lenſis

lensis, Philosophiæ in Acad. Witebergensi Adjunctus, hodie Pastor Hallensis renovavit R. Johanne Petro Groß. Halis Suevo. Witenbergæ 1693. Typis Christiani Schrödteri. Ille præter ea, quæ in prædictis Authoribus inveniuntur, adducit ingratitudinem Hallensibus erga Brentium (à Joh. Hippolyto Brentio Nepote in der Brenzischen Jubel-Predigt. & Samuele Edelio, Concionatore Ulmensi, im Edlen Evangelien-Schatz An. 1659. Ulmæ edito Homil. VI. p. 27.) imputatam, quam à civibus suis studiosè amolitur. Cæterùm divinæ providentiæ adscribendum, quod Brentius tanto periculo Halensibus ereptus & Wirtembergicis Ecclesiis præfectus est. Aliâ quippe viâ tantum cimelion ab illis obtineri potuisse, vix est credibile. Unde suo quippiam tribuisse dolori nepotem, vero haud videtur absimile, quod J. Beyschlagius cit. loco intimat. lit. D. 3. Idem sub Præsidio, D. Casparis Lœscheri, Theologi in Academiâ Witebergensi admodum celebris,

De Orthodoxiâ Brentii.

Dissertationem defendit Anno 1694. in 4. tametsi, quod miramur, præcipuam materiam, in quâ consensum Viri jactitârunt olim Calviniani, nempe de S. Cœnâ prætererit. Tria autem sunt doctrinæ capita, quibus tùm ex nostris aliqui, tùm adversarii, labem Nomini Brentiano quantum ad doctrinam adspergere tentârunt. Primum erat de Osiandrismo, quem à Brentio foveri putârunt, D. Mörlinus, Superintendens Coburgensis, &

Stösselinus, à Carolo Marchione Badensi An. 1556: cum aliis Pforzhemium ad deliberandum de instaurandis ejus tractus Ecclesiis accersiti. Illi jamdum Anathematismos concinnaverant, quibus non modò Pontificios, Zwinglianos & Anabaptisticos errores damnaverunt, sed alios quoque viros de Ecclesiâ optimè meritos plurimorum errorum reos agebant; Inter quos Brentius quoque non postremus erat, quem de Justificatione, de Baptismo, de Cœnâ Domini & descensu Christi ad Inferos non rectè sentire contendebant. Idque jam magnâ ex parte Dominis Politicis Consiliariis, quos Marchio deliberationi adhibuerat, persuaserant. Enimverò D. Jacobus Andreæ & ipse ad illum conventum vocatus omnem heterodoxias suspicionem à Brentio tàm solide removit, ut auditis illis Brentio æquiores facti anathematismos liturâ inducerent. vid. Fam. Andrean. reflor. p. m. 61. conf. Fechtii Supplem. Sec. XVI. Appar. Cap. 7. p. m. 247. ubi tamen observat J. Brentium partim λογομαχίαις Osiandristarum, sub quibus sese magno semper artificio occultaverant, fuisse deceptum; partim amore Osiandri sibi à juventute familiaris, disputationes ejus aliquâ sui parte approbâsse. Unde D. Mörlinus ignavo Suevici judicii tepori fuerit iratus. Sed candidè fassus est Brentius in Epistolâ ad Phil. Melanchtonem se Osiandri dogma nondum rectè intellexisse, ideoque mitius ex hâc & aliis causis sensisse. vid. D. Val. Löschers/Altes und Neues/ p. m. 87. seq. Alterum caput est de Prædestinatione, quam Samuel Huberus, Bernâs, univer-

salem

salem statuens, Brentii testimonio ex Homil. ejus VIII. in 1. Joh. p. 65. munire contendebat; Cui Ægid. Hunnius satisfecit. Et recoctam ab Arnoldo cramben B. Carolus egregiè diluit. vid. Würtembergis. Unschuld. p. 125. seqq. Ex adverso Calviniani Brentium ad partes in particularismo & absoluto decreto pertrahere annisi sunt, quod post Augustinum Marloratum & personatum Massonium summo studio egit Marcus Wendelinus, citatis eo fine Brentii verbis in Exeg. Joh. C. XV. p. 260. edit. Hagenov. ubi hæc habet: Si pro divino captu & quantum ad Dei immutabilitatem attinet, loquendum fuerit, firma stat sententia, quemcunque Deus ante conditum Mundum elegerit, eum non posse perire. Nemo enim rapit oves de manu hujus pastoris. Quem verò rejecerit eum non posse salvari, etiamsi omnia sanctorum opera fecerit, usque adeò inevitabilis est sententia Dei. At verò ipse Brentius sese explicavit tùm loco citato, tùm alibi. Quod ad locum citatum attinet, paulò ante ista verba disertè docet: Posse aliquem fieri electum, qui anteà non fuerit talis. Gentes incircumcisas non fuisse electas, factas tamen esse postea per fidem in Christum electas. Ad objectionem deinde de immutabilitate decretorum Dei respondet: Dominus ut est immutabilis, sententiam suam nunquam retractat, nisi nobis mutatis & resipiscentibus: Semel decrevit: Omnis qui non permanserit in lege, maledictus est. Hoc decretum Deus non mutat, nisi postquam nos per Christum mutati & renovati fuerimus. Vult enim Deus, ut peccator maledicatur, nam sic sententia legis, quæ est divina pronunciatur.

Non tamen vult mortem peccatoris, si resipiscat & convertatur. Itaque juxta hujus loci sententiam, Pater tantisper eligit, dum tu in vite manseris & fructum feras: Rursus tantisper abjicit, dum tu fueris extra vitem & nullum fructum feras. Atque hæc quidem pro nostro captu & quantum ad homines attinet; differuntur. Nam ut Paulus Rom. XI. scribit, donum fidei, quod huic aut illi modò est collatum, rursus auferri potest & alteri dari: Quoniam tu, inquit, excideris & illi rursum, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potest enim Deus denuò illos inserere, nam vide quid illud sit quod in Psal. canitur: Cum electo electus es & cum perverso perversus. Cæterum si pro divino captu. &c. Ex hisce planum est Brentium equidem immutabilitatem decretorum Dei in se concessisse, sed illorum executionem à conditione prævisâ fidei, vel incredulitatis suspensam cum nostris luculenter docuisse. Hinc ad Marbachium scripsit, se idem cum B. Luthero & ipso sentire de prædestinatione, à posteriori videlicet, non à priori de eâ cogitandum esse, ut ex eâ fidem nostram confirmemus, non infirmemus, aut extinguamus vid. Fecht. Epist. Theol. Part. III. pag. 134. conf. Beyschlags Brentius orthodoxus. §. 16. seqq. Tertium, quod Brentio impingere nonnulli sategerunt, erat dogma Cinglianum de S. Cœnâ Etenim Bartholomæus Hagenius, Pastor in districtu Nürtingensi, Principi Sabinæ, Christophori Ducis matri, aliâs gratus, ita, ut aliquoties eum ad se vocaret & loco Concionatoris Aulici uteretur, cum Anno 1559. Stuttgardiam in Synodum, ut fidei suæ rationem redderet, esset vocatus, publicè

licè professus est, se doctrinam suam ex Brentii libris, exegesi inprimis in Johannem didicisse, ubi scriptum legatur: Os corporis accipere panem, os fidei accipere corpus Christi. Cui Brentius irascens respondit: Quod impudentiorem hominem vix viderit, qui audeat viventi Brentio errorem tribuere, quem jam inde ab exordio hujus controversiæ semper execratus sit & plurimis publicis scriptis refutaverit. Maximè verò in Exegesis suæ commemoratæ capite sexto, unde hæc ejus mutilata verba produxerat, ubi ex professo contra hunc errorem Zwinglianorum pugnaverit & argumentum objectum solverit. Sic enim Cinglianos argumentatos esse: Si corpus Christi per miraculum in Cœnâ Domini præsens esset, utique etiam sentiretur, sicut omnia miracula in oculos hominum incurrunt. Quia autem corpus Christi in pane nullo sensu percipiatur, ideòque etiam non adesse credendum sit. Ad hoc argumentum se respondisse dicebat Brentius, ut maximè os corporis non sentiat corpus Christi, tamen os fidei sentire. Quæ cum ita se habeant, sicut libellus testetur, hortabatur Hagenium: Ne posthâc ad tuendum errorem suum verbis Brentii utatur, à quo toto pectore abhorruerit semper. vid. Fam. Andrean. p. m. 97. 98. Tametsi verò J. Brentius dissensum suum à Calvinianis & Cinglianis sæpissimè contestatus fuerit; nihilominus illi non destitére ad ipsius consensum provocare. Unde etiam Elector Palatinus ante Colloquium Maulbronnæ habitum in literis ad Christophorum Ducem Wirtembergicum datis, verba Brentii modò ab Hagenio citata pro suorum sententiâ tanta quidem cum fiduciâ ad-

duxit, ut penè Brentium in suspicionem collusionis cum Calvinianis apud Principem conjecisset; Quâ causâ gravissimo mandato jussus est mentem suam & conscientiam exponere, ad quod sequentibus respondit: &c. &c.

EUer Fürstl. Gnaden hat mir gnädiglich befehlen und auferlegen lassen/ nachdeme ich in Exegesi super Johannem, in Capite Sexto, so vor 35. Jahren in Truck außgegangen / von dem Sacrament deß Abendmahls geschrieben / fürnehmlich diese Wort: Corporis os accipit panem & vinum, os fidei accipit corpus & sanguinem. Und sich etliche daran stossen / auch mich in Verdacht haben / als ob Ich der Zwinglischen Meynung nachhalte / der wahrhafftig und wesentliche Leib und Blut Christi seyen nicht im Abendmahl gegenwärtig / werden auch darinnen nicht gegenwärtiglich außgetheilt / daß ich darauf E. F. G. mein unterthänigsten Bericht und Declaration thun solle. &c. Hierauf will E. F. G. ich in Unterthänigkeit nicht verhalten / daß ich auß GOttes Gnad vor 40. Jahren von Anfang dieses Streits / allwegen dieser Meynung / vermög Göttl. Worts gewesen/

daß

daß der wahrhafftige Leib und Blut Christi im Abendmahl gegenwärtig seye und außgetheilt werde / bin auch für und für in Colloquiis, in Schrifften / in Concionibus auch in Verfassung der Augspurgischen Confession An. 30. darbey ich auch als ein Unwürdiger gewesen / auf deren Seiten / so die Zwinglianer von wegen deß Abendmahls Christi verworffen / gestanden / und hab sonderlich die bemeldte Schrifft in sexto Capite Exegèsis in Johannem wider die Sacramentirer und Zwinglianer gestellt / darum ist es mir frembd / wie Ich doch hierzu komme / daß Ich eben auß dieser Schrifft / da Ich die Zwinglische Meynung als einen Irrthum verworffen / solle für einen Zwinglianer gehalten werden. His præmissis affert eandem explicationem verborum suorum, quam Hagenio dedit, supra laudatam. Addit deinceps sequentia: Neben dem hab Ich in derselben Schrifft außtrucklich von dem Artickul unsers Glaubens: Er ist gen Himmel gefahren / gehandelt und angezeigt / daß die Himmelfahrt Christi der wahren Gegenwärtigkeit deß Leibes und Bluts Christi

im Abendmahl nichts benemme. Hab mich auch darinnen referirt / auf D. Luthers seel. Sermon so Er dazumahl in Truck hat außgehen lassen. Hic recitat ejus formalia verba, & subjungit: Hæc Lutherus. Diese Sermon hat D. Lutherus seel. gethan und geschrieben / mehr dañ vor 30. Jahren. Ja auch vor der Augspurgis. Confession, und ist bey den Theologen Augspurgis. Confession weder zu Wittenberg / noch anderstwo niemand erfunden worden / der solche Sermon angefochten / oder verworffen hätte / biß nach seinem Tod die Philosophia hat wollen meister werden / und viel von der Eigenschafft deß Menschlichen Leibes predigen. So haben auch Zvvinglius, Bucerus, Schvvenckfeldius, zur selbigen Zeit wider mich als ihren in dieser Sache Widerwårtigen offentlich geschrieben. Nun kan es je nicht billich seyn / daß man auß meiner gantzen Handlung und Schrifften allein etliche Worte klauben / und dieselbige wider mein offentlich / und so offt bezeugte Meynung deuten und außlegen wolte.

Nachdem aber solches nicht allein der Augspurgischen Confession, so bey etlichen

chen NB. auch muß Zwinglisch seyn / sondern auch den hellen Worten Christi / so auf den Zwinglischen Schlag gezogen werden / aufgetrochen wird. So ist es kein Wunder / daß es mir gleicher Gestalten widerfähret. Hierauf bitte E. Fürstl. Gnaden Ich gehorsamlich / sie wollen mich gnädig entschuldiget halten / und meine Meynung von dem Abendmahl Christi vielmehr auß dem gantzen Haupt-Handel / dann auß etlichen ohngefährlichen Worten mit Gnaden bedencken / und einnehmen. ꝛc. ꝛc.

Hæc ſunt præcipua capita, in quibus orthodoxia Brentii videbatur olim periclitari. Singularem tamen ſententiam de abſtemiorum communione ſub unâ, cui in Apologiâ pro Confeſſione Wirtembergenſi acceſſiſſe videtur, non audent probare Theologi. vid. D. Brochm. Syſt. L. De Cœnâ Dom. Caſ. Conſc. IX. p.m. 1265. edit. in 4. Itaque hâc occaſione quantum ad authoritatem Brentii & aliorum Theologorum notamus. 1. Polygraphos vix evitare contradictiones, ſaltim apparentes. 2. Certamine nondum moto ſecurius plerunque locutos eſſe tum Patres, tum veteres Theologos. 3. Viros doctiſſimos, ſingulares & ſibi proprias communiter fovere opiniones in iis, quæ de fide non ſunt. 4. Formulam Concordiæ inter alias eâ de cauſâ fuiſſe adornatam, ne quis ulterius ad unius vel alterius Evangelici

gelici Doctoris privatam ſententiam provocaret. Id quod Polycarpus Lyſerus Junior, in Epiſtolâ ad Lucam Oſiandrum Juniorem datâ (cujus ἀυτόγραφον poſſidemus,) ad authoritatem J. Brentii objectam reſpondit. De cætero moderationem, quâ erga Cinglianos clandeſtinos & Oſiandrum ab initio uſus fuit, Brentio fraudi & detrimento fuiſſe, ipſiusq; orthodoxiam in diſcrimen adduxiſſe ex jam dictis non obſcurum eſt. Solent nonnulli leniter agere cum hæreticis, vanâ ſpe ducti, fore, ut eos in viam veritatis reducere & Eccleſiæ lucrari queant. Iſta autem lenitudo nunquam effectum habuit felicem, quin potius adverſarii talium moderatione abuſi conſenſum ipſorum identidem jactârunt, eosque in ſuſpicionem colluſionis cum hoſtibus Eccleſiæ apud ſinceros Theologos conjecere. Subjungimus hiſce Brentii de gradibus & honoribus ſcholaſticis judicium. Cum enim ipſi ab Illuſtriſſimo Principe Wirtembergico, Ulrico, piæ recordationis, poſt recuperationem Ducatus, Academiæ Tubingenſis reformatio & repurgatio ab erroribus Pontificiis eſſet demandata; occurrebant tùm, qui non admodùm honorificè de gradibus & promotionibus Academicis, ſuâ cum ſolennitate conjunctis ſentirent, ideòque abrogandas exiſtimarent, ut quæ papiſmum ſaperent. Ibi Dominus Brentius graviſſimè & conſtantiſſimè naſutulis illis ſe oppoſuit; rationabilem & perantiquam Eccleſiæ conſuetudinem, Hiſtoriarum atque Canonum monumentis confirmatam oſtendens, ne quis ſine publico piorum & probatorum Doctorum teſtimonio ad docendum admittatur. Addebat inſuper, hoc modo ordine diſci linguas & artes humano

no generi (quoad Ecclesiam & Rempublicam) necessarias: excitari etiam ad majorem diligentiam juventutis ingenia: propositis honorum præmiis. Quibus & aliis rationibus Ἀντιλέγοντας vicit & apud Principem obtinuit, ut in hâc Academiâ Graduum Renunciationes (quæ aliud nihil sunt quam pietatis, eruditionis, probèque exantlati laboris testimonia) in usu legitimo conservari voluerit. vid. Andreæ Osiandri Orat. Funebr. De Vitâ & Obitu Joh. Magiri. p. m. 14. Denique Brentius Calvinianorum summum odium sibi contraxit assertione ac defensione solidâ Majestatis divinæ, vi unionis hypostaticæ, humanæ Christi naturæ communicatæ. Cum enim animadverterent, per hanc doctrinam omnium illorum argumentorum, (quæ ex ratione physicâ naturæ Christi humanæ contra præsentiam corporis & sanguinis ejus in Evcharistiâ solent producere) nervos uno ictu incidi; eam non solùm vocabulo ubiquitatis sarcasticè traduxerunt, sed & ipsum Brentium variis scommatibus lancinaverunt, Patrem Ubiquitatis & hanc ejus filiam vocantes; Imò in tantum excrevit nonnullorum furor, ut Joannes Franciscus Aspastes Salassus virulentus & sanguinarius Cinglianus Testamentum ejus, Ambulans Testamentum vocaverit, & eum truculentum militem appellitaverit, qui gladium in Cinglianos stringendum esse suaserit. (Hinc Brentius pateram illam deauratam Cardinali Lotharingo remisit, ne videretur cum Pontificiis colludere. vid. Osiand. Cent. XVI. p. m. 736. Danæus homo apertè mendax & manifestè blasphemus Brentii de re Sacramentariâ scripta delirium & furorem: Authorem verò

delirum

delirum, furiosum, ambitiosum, inconstantem, avarum seminatorem dissidiorum vocavit, qui magnâ animi levitate & inconstantiâ Syngrama à se, sub initium hujus controversiæ conscriptum damnaverit & post mortem Philippi Melanchthonis, primatum in Germaniæ Ecclesiis affectaverit, ac dissidia non solum vivus scriptis suis, verùm etiam mortuus funesto Testamento seminaverit. vid. Brentii Junioris Apolog. pro Patre p. m. 6. 7. Hæc & alia ἐγκλήματα mirum est, quod Arnoldus non repetierit, qui Brentio non Huberianismum tantùm affricare, verum etiam controversiæ Ubiquitisticæ resuscitationem adscribere, imò intrusionem in officium Politicum objicere sustinuit, fusè & ex merito castigatus à Domino Caroli. l. cit. quæ sanè sufficere poterant cuivis Lectori cardato. Enimverò, cum Defensor Arnoldi, vel ipse fortean Arnoldus sub ejus larvâ ea omnia recoxerit, etiam hîc loci prolixius agendum est

De J. Brentii officio.

UBi tria nobis consideranda veniunt. 1. Quis fuerit? 2. Quâ conscientiâ tanto muneri potuerit præesse? 3. Quâ ratione in eo fuerit versatus? Ad primam quæstionem quis fuerit? Respondet Lucas Osiander Libr. III. Cent. XVI. Hist. Eccl. p. 819. Cap. 66. (non 65. uti falsò citat Arnoldus, in der Historischen Betrachtung. p. m. 445. Unde colligo eum ne quidem inspexisse Osiandrum, cui tamen suam superstruxit relationem.) Hic inter Viros celebres, qui Anno 1570. obierunt, refert Brentium

tium ſequentibus verbis: Joannes Brentius, Senior, Theologus eximius, & propter ſingularem prudentiam & dexteritatem etiam Ducum Wirtembergicorum intimus Conſiliarius. Hic voce & ſcriptis fideliter Eccleſiam Chriſti erudivit: ideoque à D. D. Luthero in magno honore habitus eſt. Proximus certè à Luthero inter fidos & præſtantes Dei ſervos numerandus. Edidit multa didactica ſaluberrima ſcripta: Multa etiam Polemica adverſus Pontificios errores: Et contra Sacramentariorum, Cinglianorum & Calviniſtarum deliramenta. Mortuus eſt ſenio confectus & laboribus exhauſtus, cum ſeptuageſimum primum ætatis annum attigiſſet & quinquaginta annos Miniſterio Eccleſiaſtico maximâ cum laude & utilitate præfuiſſet. Hactenus Oſiander l. cit. Ex quibus manifeſtum eſt, omnia in laudem Brentii dicta, neque per ſomnium Oſiandro in mentem veniſſe, ut Brentium intruſionis in officium Politicum incuſaret, cujus verba pari innocentia & intentione repetiit Kromajerus Hiſt. Eccl. p. 580. Nihilominus ex hâc nive atrum virus elicere conatus eſt, G. Arnoldus Hiſt. Hæret. P. II. Libr. XVI. cap. XV. §. 10. ubi hæc habet: Wie ſich die Theologi ſo gar offt in politiſche Aemter eingelaſſen / ja in die höchſten Ehren-Stellen bey Hofe und ſonſt / iſt auß vielen Exempeln bekannt. Der alte Joh. Brentius war zugleich Probſt / und auch geheimer Rath beym Hertzog von Würtemberg. Subjungit deinde Exemplum Jac. Andreæ, quem itidem ſuggillat & Joh. Funccii, qui πολυπραγμοσύνην ſuam publicè eſt confeſſus

fessus ante supplicium, adeòque Brentium in eodem censu habet, quo Funccium. Judicet nunc Christianus Lector: Num hanc suam maledicam observationem ex Osiandro & Kromajero bonâ fide justificare possit? Et num boni Viri sit ea, quæ Authores in laudem celebrium Virorum annotârunt, in vituperium convertere? Equidem à Consiliis intimis fuisse Brentium suis Ducibus ex Osiandro & Kromajero probatur. Id verò ex intentione prædicti, utriusque Authoris, maximè Osiandri, inter elogia Brentii esse relatum, è toto contextu sole clarius apparet. Imò reverâ ad summum Viri encomium pertinere, homines à partium studio liberi judicabunt omnes. Ita namque doctissimus Anglus Joh. du Boy, etiamsi reformatæ professionis Theologus, inde colligit in Libro: Stern und Kern. Part. I. p. 642. Wann wir viel solche Bischöffe hätten/ wie Ambrosius, so würden wir viel Kayser haben / die wie Theodosius wären. **Wenn** *Brentius* **der Rath ist / bey dem Hertzog zu Würtemberg / so würd die Religion desto besser bekräfftiget. etc.** apud Serpil. Epit. Theol. Suev. p. m. 129. Quando igitur G. Arnoldus ea, quæ à cordatis Viris non honori tantum Brentio, sed & emolumento Ecclesiæ fuisse ducuntur, culpat, vituperat & in crimen convertit; annon in charitatem Christianam, quam tantopere jactitat in scriptis suis, enormiter peccat & strenuè Sycophantam agit? Sycophanta enim est, qui benè dicta & facta in malum sensum detorquet, quemadmodum Diabolus ipsum Deum ejusque verbum in paradiso ἐσυκοφάντησε. conf. Suidas. Buddæus, &c. Atat regerit

Arnol-

Arnoldi hyperaspistes: Theologis non competere, ut politicis rebus (in Staats-Sachen/) sese immisceant? Quo fine adducit testimonia Dannhaueri, Gerhardi, Lutheri, Cypriani, Bebelii, Quenstedtii & Grossgebaueri. (Poterat & Brentii ipsius consensum citare, nisi criminis reum facere constituisset.) Sed quæso, Arnoldiane, fidem tuam? Ubinam locorum de Brentio legitur, quod Consiliarius Intimus fuerit, in rebus publicis? (in Staats-Sachen?) Ipsemet inficias ivisti, adversus Carolum, quod Arnoldus Brentium Statûs Ministrum fuisse scripserit, & B. Carolum sexies verba Arnoldi pervertisse nugaris. Dic igitur sodes: Num Brentius in rebus politicis intimum egerit Consiliarium, nec ne? Si affirmas? Utique Ministrum Statûs fuisse ais, & protestatio tua pro Arnoldo est contraria ipsius facto, quippe qui Theologos in Politica munera se immisisse, Brentii exemplo comprobare voluit. Si negas? deseris tuum Arnoldum & observationem ejus de officio Brentii Politico meram calumniam esse confiteris. Sed & dicamus quod res est, sciant Brentii cavillatores: Illum omninò fuisse Ministrum in rebus gravissimis Ducatus Wirtembergici Statum Ecclesiasticum & Politicum, (qui tum primum in eam, quâ floruit hactenus, formam redactus est,) concernentibus. Idque ad Exemplum Prophetæ Nathanis, qui sanè Consiliarium Intimum Davidis & Salomonis egit. 1. Reg. I. v. 11. 38. 44. seqq. Quemadmodum verò Nathanes non ideò fuit Consiliarius Politicus, quod in rebus quibusdam ad regimen politicum spectantibus salubria dedit consilia, ita nec Brentius ἀλλοτριοεπισκοπίας

crimine onerari poteſt, quod Principi Chriſtophoro fuerat à conſiliis intimis. Conſcientiam quippe tangebant, quæ tum temporis agitabantur deliberationes, quales erant, 1. De repurgatione Ducatus à fermento Interimiſtico. 2. De conſcribenda confeſſione & Concilio Tridenti exhibendâ. 3. De exterminio Judæorum, Cingarorum & ſectariorum. 4. De reformatione Clauſtrorum. 5. De Ordinationibus Eccleſiaſticis. 6. De diſciplina Eccleſiaſticâ. 7. De uſu bonorum Eccleſiaſticorum & eorum peculiari adminiſtratione. 8. De correctione Miniſtrorum Eccleſiæ. 9. De concordiâ ineundâ cum Calvianis. &c. Quæ omnia ſanè ad conſilii ſanctioris Collegium pertinebant. Iis autem ſolos Politicos adhibere uti ineptum, ita iniquum fuiſſet; Ex quo facilè jam concluditur, quod Brentius bonâ Conſcientiâ intimis conſiliis potuerit defungi, imò jure divino debuerit. Neque hæ ſunt Curæ ſeculares, quas Dannhauerus Chriſtiſteide, pag. 385. neque negotia ſecularia, quæ Gerhardus Loc. de Miniſt. Eccl. §. 299. neque moleſtiæ, & laquei ſeculares, aut actus terreni, quos Cyprianus; nec denique peregrinæ actiones, quas B. Lutherus occaſione dicti Luc. XII. 13. taxavit in Miniſtris Evangelii. Longè enim aliud eſt de rebus merè politicis conſilia proponere, aliud de jam propoſitis conſcientiam Principis inſtruere. Quid ſunt, vel ſaltim eſſe deberent, omnes Confeſſionarii & Concionatores Aulici, quàm intimi Principum Conſiliarii, qui ntimas conſcientiæ fibras vellicare tenentur? Talem itaque Theologus quicunque agere poteſt etiam in politicis. Statûs vero Miniſtrum, qui nimirum

moder-

modernam ſtatûs rationem è Machiavelli principiis fluentem obſervet, præſtare ne Chriſtiano quidem, tametſi πολιτικωτάτῳ, nedum Theologo convenit. Illud verò laurum meretur, cujus eſu riſum coërceas, quando Arnoldianus armiger Brentium in negotiis ſecularibus conſultum fuiſſe probare conatur exinde, quod B. Oſiander & Kromajerus dexteritatem & prudentiam ejus ſingularem collaudent, & hanc pro cauſâ præcipuâ adducant, quod in Conſilium ſecretius fuerit allectus. Scilicet, qui propter dexteritatem & prudentiam ſingularem in conſiliarium intimum adſciſcitur, ille neceſſariò in ſecularibus negotiis eſt conſulendus; quaſi verò non darentur in orbe (Geheime Kirchen- und Gewiſſens-Räthe/) intimi conſcientiæ vel Eccleſiæ conſiliarii, & dexteritas cum prudentiâ ſingulari ſaltim in ſecularibus requirerentur? Quid eſt fumos vendere & rabulam agere ſi hoc non eſt?

Patet interim vel ex adverſarii teſtimonio: Quâ ratione Brentius in officio intimi Conſiliarii fuerit verſatus, nempe cum dexteritate & prudentiâ ſingulari, quod probè notandum adverſus ipſum Arnoldum. Etenim hoc pacto fatetur ejus defenſor: Etiam Theologos benedicta divinitùs conſilia in politicis ſubminiſtrare poſſe, cum tamen ea ſucceſſu infelicia ſuprà citato loco vocaverit Arnoldus. Ita nempe defenſor dum excuſare nititur, illum accuſat, vel deſerit. Deinde Brentium non ex complacentiâ negotiorum ſecularium, ſed bonâ intentione politica quædam tractâſſe intimat. At qui bono fine, non rerum ſecularium prolubio (& quidem le-

gitimè ad munus ſuum vocatus, uti Brentius,) politica tractat, ille immiſſionis in ſummum honoris in Aulâ faſtigium, adeoque πωλυπραγμοσύνης, non ſine calumniâ & mendacio arguitur, quod ipſum tamen Arnoldus fecit, dum Theologos politicis ſe immiſcuiſſe officiis comprobare nititur. Sie haben ſich (ait) in die höchſten Ehren-Stellen bey Hofe eingelaſſen / & illicò adducit exemplum Brentii. De cætero probè obſervaverat B. Carolus: Brentio non tantum temporis fuiſſe ut ſecularibus negotiis vacare potuerit, cum tot ſcripta ut Præpoſitus ediderit. Ad quam objectionem fatiſcens advocatus Arnoldi, ne nihil diceret, reſpondet: Facilè cogitandum in exilio commentarios fuiſſe exaraturum ut eò plus temporis ad alia negotia haberet, cum Stuttgardiam veniret. Enimverò & hoc εὕρημα falſum eſſe partim hiſtoria Brentii, partim Catalogus ſcriptorum P. I. à nobis exhibitus evincit. Nam in exilio nonniſi Eſaiam illuſtravit; & è Pſalmis nonnullos cum Catechismo. Stuttgardiæ verò confecit Confeſſionem Wirtebergicam An. 1551. Commentarium in Geneſin. Anno 1553. in Exodum. 1557. in Marcum 1559. in Numeros. An. 1560. in Epiſtolam ad Romanos 1564. In Matthæum. 1566. in Devteronomion & Pſalmos ſub finem vitæ cum Poſtilla Evangelicâ, nequid dicamus de Scriptis contra Petrum à Soto & Calvinianos editis, integrum Tomum in folio abſolventibus, deque duobus aliis ἀνεκδότοις manentibus. Prætereà ſingulis ſeptimanis ter vel quater concionatum eſſe accepimus; adeò, ut quibusdam diebus admodum pau-

cos

eos haberet auditores. Animadvertisse id quempiam & per aream Curiæ fortè incedentem interrogasse: Ut quid laborem sibi crearet, quem diebus istis audiret ferè nemo. Eum verò nihil commotum intento in vicinum fontem digito dixisse: Atqui & fons iste aquam suam fundit, tametsi nemo hauriat.

Omnem igitur frontem perfricat B. Caroli adversarius, dum de perversione ac detersione verborum Arnoldi toties conqueritur. Quid enim per Deum immortalem, homo qui se summis honoribus in Aulâ immittit, aliud est quàm Status Politici Minister? Atqui sic vitam Brentii circumscripsit Arnoldus. Non itaque dicta ejus pervertit, aut in alienum sensum detorsit B. Carolus, sed saltim explicavit. Eâdem fronte negat Brentium decollato Funccio adjunctum esse ab Arnoldo & per iniquissimam μήμησιν Caroli verbis ad judicium Orbis provocat. Etenim quæ de Brentio, J. Andreæ & Funccio licet scribit Arnoldus, non tantùm eodem sunt paragrapho inclusa, sed & manifestè sub eodem marginali: Politische Aemter der Theologen; sub eâdem observatione & quidem primo loco, cum exemplum Funccii postremum occupet, adeòque in eâdem connexione Logicâ leguntur. Certè tàm aperta pernegare & cordatis lectoribus oculos quasi eruere velle, non tàm temeritas est, quam insania aut stupor. Desinat G. Arnoldus tàm putidas admittere excusationes, cui lapsum in hoc passu & injuriam Brentio factam agnoscere, nec detrimento fuisset, nec dedecori. Nunc vero pertinacia in falsi crimen versa fidem & candorem ejus prostituit. conf. L. Zeibichii Sche-

diasma de Theologis ad tempus commodatis. pag. m. 41. Supereſt, ut nonnulla annotemus

De J. Brentii Colloquiis & Scriptis.

VAria fuére colloquia, quibus interfuit Brentius, nec poſtremas partes egit. Mittimus tamen publica ſupra jam memorata P. I. De privatis nonnulla reſtant. Auguſtæ Vindelicorum non tantum cum Cochlæo., ſed & Auguſtino Mario, Epiſcopo Suffraganeo Herbipolenſi confabulatus eſt, qui non minus ac ille ſæpius ingeminavit: Se manſurum apud matrem. Cui tandem modeſtè Brentius reſpondit: Non tamen Patris eſſe obliviſcendum. Ey lieber Herr / ihr müſſet darnach deß Vatters / deß lieben GOttes darneben nicht vergeſſen. vid. Conrad. Dietrici Conc. Secularem p. m. 84. An. 1552. cum Tridento Brentius rediret, Cardinalis Tridentinus, celeribus equis Tridentum contendens, & Wirtembergicos Legatos obvios habens, Brentium humaniſſimè ſalutavit, prolixè illi ſua deferens officia quæ & ſi domi fuiſſet præſtiturum ſe fuiſſe affirmabat. vid. Jac Heebr. Orat. Brentio dicta p. m. 39. & Melch. Adami p. m. 215. a. An. 1556. Illuſtriſſimus Princeps Wirtembergenſis permiſit, rogatu nonnullorum Principum, ut Joannes à Laſco cum Brentio colloqueretur de Cœna Domini, ſi fortè hoc medio via ſterni poſſet ad Concordiam. Sed irritus fuit conatus piorum Principum. Nullius enim Concordiæ mentionem fieri volebant Wirtembergenſes, ſi non prius ab alterâ parte Auguſtana Confeſſio abſolutè & ſimpliciter approbaretur. Hactenus

ctenus Hoſpinianus ex vero refert Hiſtor. Sacram. p. m. 245. Nunc de ſuo addit, quæ ſequuntur: Brentius quoque in hoc colloquio primùm ſe cum ſua Ubiquitate exeruit: Nam in eo concluſus undique à Laſco & in anguſtias redactus extremas prorupit in hæc verba: Chriſtum non verè & natura fuiſſe hominem, ſed phantaſiâ tantum: Nec verè paſſum & mortuum fuiſſe; ſed ita hominem natum, ut humana natura in aſſumtione ſit exæquata in omnibus naturæ divinæ: Et ubique præſens eſſe cœperit cum eâdem, non in homine tantum, ſed quovis ligno, lapide, animante &c. Item Chriſtum etiam, cum ſit in pane, ſedere ad dextram Dei; aliaque hujus generis multa. De hoc Colloquio ſcriptum quoddam per manus multorum ſparſum eſt poſtea à Wirtembergenſibus, de quo Joannes à Laſco conqueritur, quod in eo multa non contineantur, quæ ſe & dixiſſe atque etiam à Brentio audiviſſe certò ſciat. Addere voluimus hæc ex Hoſpiniano, ut Lectori cordato ſpecimen exhiberemus, quomodo Hoſpinianus vera & falſa permiſcere & rebus geſtis mendacia noverit aſſuere. Unde judicium porrò capi poteſt de Hiſtoriâ G. Arnoldi Hæreticâ, præſertim in materiâ de Jac. Andreæ & aliorum Theol. Evangelicorum certamine cum Calvinianis, in quâ Hoſpinianus utramque ipſi facit paginam. Brentium igitur cum Joh. à Laſco collocutum & ſeſſionem humanæ Chriſti naturæ etiam tùm, cum in pane corpus & ſanguis ejus ſacramentaliter præſto ſunt, docuiſſe pro veris agnoſcimus. Illum ipſum verò humanæ Chriſti naturæ veritatem negâſſe & phantaſticam ſolùm, ipſique naturæ divinæ in omnibus

(ipſaque adeò eſſentiâ &c.) exæquatam aſſeruiſſe tam putidum eſt mendacium, ut quivis palpare queat.

Scripta Brentii ab omnibus eruditis laudantur, quæ cum aliis operibus B. Lutheri & Philippi Melanchthonis An. 1558. d. 6. Martii, *Maximiliano*, Romanorum Regi, à Duce Chriſtophoro transmiſſa ſunt. Miſerat ei Princeps, (cujus frequens literarum cum Rege commercium erat, quarum αὐτόγραφα ipſiusque Regis manum vidimus & legimus,) libellum contra Staphylum & Hoſium à Brentio exaratum. Eum Maximilianus oſtendit Hoſio Cardinali, qui multa de ſe dici quæ ſcripſiſſet, cum in mentem ejus nunquam venerint, reſpondit. Ipſe verò Rex gratias egit non tantum pro libello, verum etiam deſideravit, cum à Duce Chriſtophoro ei fuiſſent oblata, ut Mart. Lutheri, Melanchthonis, Brentii ſive aliorum Theologorum veræ religionis (ita ſonant ipſius verba ſermone vernaculo) transmittere velit, quod ſibi ſingulari beneplacito eſſet futurum. **Daran werden uns Euer Liebe ein ſonders Gefallen thun.**

Miſit autem ſimul Catalogum Scriptorum Lutheri, quæ jamjam poſſideat hiſce verbis:

Tomus primus omnium operum Reverendi Patris D. M. Lutheri, quæ Vir Dei ab Anno XVII. usque ad anni viceſimi aliquam partem ſcripſit.

Tomus ſecundus omnium operum reverendi patris Viri Dei D. M. L. quæ edidit ab anni viceſimi parte quâdam usque ad annum viceſimum quartum,

Der

Der erste Theil aller Bücher und Schrifften deß theuren seeligen Manns Doct. Mart. Luthers / vom siebenzehenden Jahr biß auf das zwey und zwantzigst.

Der andere Theil ꝛc. vom XXII. Jahr biß auf den Christl. Abschied auß diesem Leben deß Hochlöbl. Herrn Fridrich Hertzogen und Chur-Fürsten zu Sachsen. Im Mayen deß XXV. Jahrs.

Der dritte Theil von An. 25. biß etwas über den Anfang deß 28. Jahrs.

Der vierdte Theil aller Bücher und Schrifften / deß theuren seel. Manns D. Luthers vom acht und zwantzigsten Jahr / biß auf das Dreissigste.

Der fünffte Theil vom 30. biß drey und dreyssig. Scriptæ sunt literæ d. 23. Febr. Anno 1558.

Accepit igitur Tomum 3. 4. 5. 6. 7. è Latinis, 6. 7. 8. 9. è Germanicis operibus Lutheri. Item Philippi Melanchthonis Locos Communes cum Annotationibus in Epistolam ad Romanos. Denique ex operibus Brentii, quæ tum prostabant, Commentarios in Esaiam, Samuelem, Lucam, Acta Apostolorum, in Johannem, Exodum, Leviticum. Job. Amos, Judicum & Ruth. Josuæ. Epistolam ad Galatas. Philippenses. De Pœnitentia. Postillam. De administranda republicâ. Contra à Sotum. Catechismus. Cæterùm rariora esse J. Brentii opera in terris Saxonicis docet, D. Georgius Casparus Kirchmajerus, Senior in Acad. Witebergensi, in Epistolâ Gratulatoriâ ad Disp. Val. Lœscheri ℞. Joh. Bey-

ſchlagio, cui titulus: Brentius orthodoxus, ſuffixâ, cujus verbis hanc de Brentio diatriben obſignamus: Megalandri noſtri olim παραστάτης fideliſſimus, Joh. Brentius, elogio Thuani (quanti teſtis & hiſtorici ad Annum 1570 magni nominis Theologus) labore inexhauſto VIII. voluminibus comprehenſa in publicum emiſit opera, tot Tomis Comentariisque in utrumque Teſtamentum & Confeſſionis orthodoxæ ſymbola nobilitatus, ut par nulla ei gratiarum actio rependi poſſit. Vidi ante años V. ſcripta ſenis venerandi in Francofurtanâ ad Oderam celebrioris Academiæ & non ita pridem in Guelpherbytana Auguſtiſſimâ Bibliothecâ. Cur in noſtrorum Saxonum Muſeis rarius occurrant univerſa Viri ſcripta, poſſis equidem mirari. Niſi cauſæ illud fortè ſit, quod in ſuas rapiant quandoque partes dicta liberalius pro Seculi iſtius genio, qui ψευδερμηνείας vitio notari poſſunt. Hactenus ille. Non poſſumus, quin & aliqua ſubnectamus

De Reformatione Hallenſi,

§. II.

QUam ſingulari moderatione & prudentiâ cepit feliciterque peregit Brentius: cum initio haberet adverſarios vehementiſſimos; inter quos præcipui erant Guardianus Theologiæ Licentiatus & Lector monaſterii Ordinis Minorum, qui conſpirantes ſæviebant importunis clamoribus & Sophiſticâ

eâ errores suos defendentes. Quæ cum indesinenter facerent fulminando & virus suum evomendo Dominicis & festis diebus matutinis concionibus in magnâ populi frequentiâ; à prandio multo confluebant frequentius, sperantes Ecclesiasten suum eâdem usurum vehementiâ in suorum dogmatum defensione & par pari relaturum. Verum ille prudenter dissimulabat ad tempus & suo more docere pergebat, doctrinæ Christianæ fundamenta jaciendo, meritumque Christi unici redemtoris fide apprehendendum, sedulò & fideliter inculcando. Deinde ubi commoda se offerebat occasio, brevissimè & modestè perspicuis Sacræ S. testimoniis adversariorum dogmata & clamores refutans hæc pugnare cum illis ostendit. Itaque tandem plerique Papisticam idolomaniam dogmata & superstitiones fuerunt detestati. Interea ipse quoque missam interdum celebrabat, sed non pro defunctis offerebat, sed tantum Angelicam, quam sic vocant, legebat missam. Sequenti anno 1523. Joannes Isenmannus, quem P. I. Memor. p. laudavimus à senatu in patriam quoque vocatur, ut defuncto Pastori succedat. Is autem sacros ordines nondum susceperat, sed tantum minores Subdiaconus factus. Hic non solùm eadem cum Brentio docuit: Sed impias Papatus ceremonias abrogare cepit. Quare odium multorum conflavit præsertim cum Brentius quoque missam celebrâsset. Hic Brentius publicé se excusavit pro Concione auditoribus, rationem sui consilii exponens in hanc sententiam: Optimi auditores, audio quosdam vestrum nostris actionibus offendi, & quidem verum est, ego quoque aliquoties missam hic

apud

apud vos celebravi: ſed non per omnia ſacrificulorum more, impietate horrendâ, ſacrificii ſcilicet oblatione pro vivis & defunctis, omiſſâ, idque propter vos à me factum eſt. Nam cum primum huc à vobis eſſem vocatus, in profundum idololatriæ vos immerſos reperi, ideò aliquid erat faciendum & ad vos in lacum deſcendi, ut vos educerem & libertatem paulatim erudiendo & non nihil etiam exemplo Apoſtoli ad tempus cedendo & ſimulando. Jam verò rectius ex verbo Dei â me eſtis inſtituti & horrendam miſſæ abominationem & Cœnæ Dominicæ profanationem intelligitis. Ideò ea & fugienda eſt & legitimè abroganda. vid. Heerbrandi Orat. de Brentio. l. cit. & Melch. Adami Vit. Theol. p. m. 210. conf. Seckendorff. Hiſt. Lutheran. Part. I. pag. 242.

Ad pag. 50.

De Matthæo Aulbero & Reformatione Reutlingenſi.

§. 12.

NOn mirari ſatis poſſumus, tàm pauca de hoc Viro & Reformatione Reutlingæ, Civitatis Imperialis, reperiri in monumentis publicis, quæ religionis cauſâ prodiére, cum tamen prima inter omnes Germaniæ ſuperioris civitates Evangelii doctrinam ſuſceperit, & luculentum ſpecimen tùm virtutis divinæ, quantopere in infirmioribus perficiatur, tùm veritatis cœleſtis, quid ea in hominum

minum animis valeat, ediderit. Deprædicat Illustrissimus Seckendorffius quatuor Civitates Campodunum, Winshemium, Hailbrunnam & Weissenburgium, mediocrium omnes virium, quod tanto majori laude accesserint Noribergæ & Reutlingæ, quia generosius est, iis, qui in periculo versantur, novè accedere, quàm à veteribus amicis periclitantibus se non subtrahere ideoque (pergit ille) prius illud inauditum esse, existimavit aulicus ille apud Lucanum, qui dicebat:

Nulla fides unquam miseros elegit amicos.

Sed vis agnitæ veritatis & fidei Christianæ talia frequenter effecit miracula. (a) Jam verò si hoc miraculum est in periculo constitutis accedere, quantò majus erit, quod Reutlingenses Evangelii doctrinam, cum soli etiamnum essent & non Pontificis tantum, sed & ipsius Imperatoris indignationem summam in se concitâssent, professi sunt. Quare summâ captus admiratione B. Lutherus, Philippum Melanchthonem regionis illius gnarum, interrogavit: Quæ, qualis, quanta esset ea civitas? Et quam munita, quod adeò firmiter in Evangelicâ fide perstaret, cum tamen tot tantisque hostibus potentissimis esset circumdata? Ideoque literis ad Matthæum Aulberum ipsamque Civitatem datis eos collaudavit, solatus est, & ad ulteriorem constantiam in veritate animos addidit. Fuit autem

MAT-

(a) *Seckend. Luther. Libr. II. p. m. 175.*

MATTHÆUS AULBERUS, ſuâ ætate propter animi robur, eruditionem & meritorum in propagandâ fide præſtantiam nulli poſt B. Lutherum ſecundus, cujus vita ſuperius à nobis deſcripta ex Chronico Reutlingenſium Manuſcripto, rythmis vernaculis pro more ſuperiorum Seculorum concinnato & ab Excellentiſſimo Domino D. Pfaffio, Tubingenſis Academiæ Theologo & ornamento perhumaniter nobis communicato, pluribus venit ſupplenda. Blabyrenſem ortu fuiſſe teſtatur Brunnius ſuo loco à nobis citatus, idem diſertè tradit Cruſius Annal. P. III. p. 503. Reutlingæ tamen vindicatur in Manuſcripto modò memorato. Natus ibi perhibetur d. 4. Decembr. in Vigiliis S. Barbaræ An. 1495. eâdemque poſtmodum ſepultus. Pater nominatur Jodocus, Aurifaber; Mater Anna Schellingeriâ; qui [ejus parentes incendio Anno 1502. Reutlingæ oborto, quo 140. ædificia abſumta fuere, omnem rei ſuæ jacturam fecere; ipſeque adeò Matthæus, ſeptem annorum puer, igne periiſſe credebatur; ſed incolumis tandem repertus liberalium artium ſtudio à parentibus adhibebatur, altero ex iis], patre nimirum, paulò poſt orbatus. Halam Suevorum deinceps adiit; porrò Rotenburgum ad Tubarim & Argentoratum, ubi canendo & partem colligendo victum quæſivit. Exactis 16. annis patriam repetiit à Georgio Kellero in Collaboratorem Scholæ (Proviſores vulgò vocant) adſcitus. Mox verò Tubingam reverſus à Braſſicano Seniore conſimile officium in ſcholâ, & brevi poſt utramque lauream cum Profeſſione Muſices publicâ obtinuit. Ibi Philippum Melanchthonem, Grammaticam Græcam

&Rhe-

& Rhetoricam cum Terentio docentem audivit, qui Aulbero ſtipendium à Senatu Reutlingenſi commendatione ſuâ procuravit. Eo inſtructus Friburgum in Brisgoviâ ſe contulit, ubi Brockingerus Theologiam & Ulricus Zaſius Jurisprudentiam, magnâ nominis ſui famâ, tùm profitebatur. Creatus ibi mox Baccalaureus Biblicus Librum ſententiarum publicè explanare jubetur; Quod cum aliquandiu egregiè præſtitiſſet, formati Baccalaurei magno inter Pontificios charactere ornatur. Tubingam redux Anno 1517. ut Jacobum Lempum & Martinum Plantſchium, Theologos non minus eâ ætate celebres, audiret, primos Lutheri libros, qui in Academiâ Tubingenſi eo tempore divendi ceperant, avidè legit. Accidit autem ut Eccleſiaſtis ordinarii munus Reutlingæ ſub id tempus vacaret. Itaque Matthæum Tubingâ evocat Senatus, qui ad impetrandam ſacerdotii confirmationem Conſtantiam ad Epiſcopum, cujus Diœceſi ſuberat Civitas, ſe conferre neceſſum habuit, & ſimul trinam conſecrationem accepit. Domum reverſus, comitante Balthaſare Käuffelino, Theologiæ Profeſſore Tubingenſi, contra Papismum intrepidè concionari cepit, Anno 1519. quo Ulricus Dux Wirtembergicus urbem armatâ manu occupaverat. Fuerunt tùm in oppido plusquam quadraginta Monachi diſcalceatorum Ordinis, quorum aliqui veritatis luminè colluſtrati abjecto cucullo aliud vitæ genus elegerunt; Alii Aulbero, tanquam Stephano, contra ire non non valentes diſceſſerunt. Delata tamen eſt res ad Epiſcopum, qui Aulberum Conſtantiam ſub anathematis pœnâ evocat. Sed admonitus ille clancu-

lum

lum ab amicis: fore, ut captivus abduceretur, un-
de non poſſet redire; non comparet. Fulmen igi-
tur excommunicationis vibratur non in Matthæum
ſolum, ſed & in ipſam civitatem ab Epiſcopo & Pon-
tifice, imò proſcriptio etiam à Cæſare Rothwilâ ſu-
pervenit, adeò, ut trini banni formulæ uno eodem-
que die foribus Templi majoris publicè affigerentur.
Perſtat nihiloſecius Reutlinga & Aulbero, qui quo-
tidie ſub ictu verſabatur, perennem aſſiſtentiam
pollicetur, qui Papæ falſas doctrinas indies corda-
tus detegit, tantâ quidem cum fiduciâ in Deum, ut
Anno 1521. quo Lutherus Wormatiæ fidei ſuæ ra-
tione egregiè redditâ proſcriptus fuit, conjugium
inire non dubitaret. Duxit enim Claram Bajeriam,
quâ cum 46. annos placidè vixit, ſeptuaginta de-
ſcendenrium Pater, Avus Proavusque ſuperſtes.
Exorto dein Anno 1525. ruſticorum tumultu, mille
rebellium civitatem quoque Reutlingenſem, utpo-
te jam anteà proſcriptam, in partes ſuas pertractari
mœnibus appropinquabant. Sed maſculè reſpon-
dit eorum Legatis Aulberus: Evangelii libertatem
armis non aſſerendam, quippe quæ in gaudio, pa-
ce & patientiâ Spiritus conſiſtat, & Magiſtratui
omninò deberi obſequium & honorem. Quo pa-
cto non ſuos tantum cives, ſed & reliquos in officio
continuit, tametſi bellum ruſticorum paulò poſt ve-
hementius exarſerit. Invaſerat illâ tempeſtate Spi-
ram contagio, quæ Cameram Imperialem Eſslin-
gam ſecedere compulit. Vocatus eò in judicium
M. Aulberus, ut doctrinæ rationem redderet, quin-
quaginta civibus à Senatu ei adjunctis usque ad telo-
nium Eſslingenſe comitatus comparet. Jubetur
reſpon-

respondere ad 68. articulos, quos è concionibus ejus exceperant adversarii. Sustinet examen tribus integris diebus, & omnes è vestigio rotundè confitetur imperterritus. Cumque nullus eorum ex S. Scripturâ posset refutari à Monachis, tandem incusatur: Probrosè locutum esse de B. Virgine, matremque Dei per contemtum appellasse lotricem mercenariam. Sanctis præterea illusisse. Verum hoc negavit & pernegavit Aulberus tantâ cum parrhesiâ, ut Pontificiæ Religionis homo in Consessu non postremus eum excusaverit ipse: Confessus est, inquiens coram nobis & intrepidè omnes articulos defendit è verbo Dei. Unde existimo eum hoc posterius non commisisse. Quid si de cæteris articulis fuerit absolutus, etiam hic non condemnabit eum. Quomodo in hoc uno tergiversabitur, qui cætera omnia profitetur? Tandem à Principe quodam Imperii interrogatus: Num magnum esset inter Christi & Papæ indulgentias discrimen? respondit, uti supra P. I. memoravimus: Serenissime Princeps, Christi remissio purgat Conscientias, Papæ indulgentiæ verò crumenas. Subrisit universus consessus: Benè te gessisti, inquiens, vade in pace. Ita dimissus rediit ad suos, qui adhuc extra urbem præstò erant, gratias Deo agentes de reditu ejus. Cum Curiâ descenderet populus supplicium ejus expectans interrogabat euntem: Nunquid mox esset deducendus ad rogum? Cui incognitus ille: Imò, ait, cecidit causâ sententia jam lata est. Mox aderit ad locum supplicii. Atque sic per medios transivit incolumis & Reutlingam gratulantibus cunctis est reversus. Paulò post Anabaptistæ ibi clanculum irrepse-

runt conventus privatos noctu agentes. His occultè Aulberus interfuit, & deprehensis eorum fraudibus collegas de omnibus reddit certiores, graviterque adeò contra sectarios istos è suggestu detonat, ut convicti atque confusi solum verterent. Sed & Zwinglius literis non unis Viro insidias struxit, quas prudenter declinavit, optimè quippe versatus in Lutheri scriptis. Tandem usque adeò crevit numerus Evangelicorum in urbe, ut non solùm An. 1529. inter Protestantes nomen fuerint professi Reutlingenses, verùm etiam hostibus undiquaque circumvallati Anno 1530. Augustanæ subscripserint Confessioni, æstimio quidem atque ordine ultimi, sed revera amore veritatis inter primos. Innexa dein Anno 1531. fœderi Smalcaldico civitas, An. 1536. Concordiæ causâ Matthæum Aulberum cum Johanne Schradino (qui in Manuscripto semper appellatur Salomon duplici forsitan nomine) Witebergam in Saxoniâ ablegavit, qui non postremos egerunt. Unde sæpè gloriatus est Matthæus: Nunquam se cogitâsse fore, ut in Saxoniâ coram Luthero concionaretur, uti tunc erat factum. Anno 1537. ad reformationem Ducatus Wirtembergici adhibitus colloquium cum cæteris Uraci habuit de Imaginibus, quas circa idem tempus ejecerunt cives permittente Senatu Reutlingensi; Nimio tamen & inconsulto fervore rem egisse, Manuscriptum non dissimulat. Confregerunt inter alias Imaginem crucifixi, immani proceritate, quæ vulgò dicebatur Ingens ille Deus Reutlingæ Der grosse Herr Gott zu Reutlingen. Templum verò ad D. Leonhardum solo æquârunt. Reliquas ædes ad D. Petrum & Paulum

&ad

& ad S. Nicolaum campanis evacuârunt, cippos ex iis levatos ad canales aquarum applicarunt An. 1538. Templum egregium in Cœmeterio funditus everterunt & elapso biennio Claustrum Discalceatorum, Anno 1539. titulo Doctoris Theologiæ Matthæus est insignitus in Academiâ Tubingensi, An. 1547. Reutlinga delectos misit ad exercitum fœderatorum. Anno 1548. d. 25. Junii, Religionis Cæsareæ formam recipere coacta Matthæum Aulberum hactenus per 29. annos fidum Pastorem atque Interim approbare detrectantem amisit, quem vicissim ambabus ulnis amplexus est Dux Wirtembergiæ Udalricus, ita, ut Cathedralis Ecclesiæ Antistitem & Consiliarium Ecclesiasticum eum constitueret, cui officio quindecim annis præfuit, etiam à Duce Christophoro magni æstimatus & ad ultimum Infulâ Blabyrensi donatus Anno 1563. postquam An. 1557. Colloquio Wormatiensi interfuisset cum aliis. Celebratur in Manuscripto ut primus Theologorum, qui in Sueviâ Evangelium prædicârunt, Vir Heroici Spiritus, indefessæ industriæ, subacti judicii, & candoris eximii, qui cor in fronte & ore gesserit; Juventuti per jucundissimam συγκατάβασιν se accommodans. In sermone festivus, honestus & sincerus. Doloris, quem complures annos ex multiplici calamitate & certo morbi genere senserat, patientissimus. Mortem cum vitâ commutavit Athletha Jesu Christi optimus Anno 1570. d. 2. Decembris ætatis 75. Ministerii 52. Conjugii 46. ipso natali Barbaræ sacro humatus, Blabyræ, uti Crusius habet, qui Virum reverendum & doctissimum appellat & ejus Epitaphium in hospitalario Stuttgar-

diæ ſano extare teſtatur P. III. Annal. p. m. 740. Quâ ratione hæc ſint combinanda viderint alii. Certum eſt Cippum ejus Stuttgardiæ conſpici, quanquam ligno ſit obtectus, ſed & Blabyræ illius Epitaphium reperitur, quod ad manus meas hactenus non pervenit. Credidiſſem eum Stuttgardiæ habitâſſe ultimis annis, quod diverſis Abbatibus olim fuit permiſſum, ibique ſepultum. Cum verò & Abbas in prædicto Cœnobiô fuerit, in memoriam ejus Epitaphium ibi fuiſſe erectum, quod ad manus noſtras hactenus non pervenit. Vel, ſi alteri conjecturæ locus, ad exemplum J. Capnionis Stuttgardiæ quidem in adyto Xenodochiali, cum ætate ingraveſcente mortem meditaretur jugiter, ſepulcrum ſibi deſignâſſe, ſed Deo aliter diſponente Blabyræ inveniſſe. Nihilominus verò poſt obitum pauca verba cippo ejus quondam electo fuiſſe inciſa.

De Confeſſione Wirtembergicâ Ducis Chriſtophori.

An. 1550. Vivis exempto Anno 1550. d. 6. Novembris, Duce Ulrico, Chriſtophorus Princeps habenas regiminis felicibus auſpiciis capeſſivit, ſummâque curâ in id incubuit, ut ante omnia veritatem Evangelicam ſtabiliret & regionem à fermento Interimiſtico repurgaret. Itaque ſtatim ab initio gubernationis Brentium, ut communicatis cum ipſo ſententiis rectè omnia fierent, ad ſe vocavit. Nec verò clàm id habuit Princeps, ſed in arce ſuâ Stuttgardiæ palàm eum fovit, & eccleſiis paſſim idoneos miniſtros præfecit, qui diſperſos interimiſtico

mistico tempore greges colligerent. Ab hoc pio instituto etsi multi Principum atque Episcoporum eum dehortarentur, ne sibi suisque periculi quidpiam, repudiato Interim, ejectisque sacrificulis, crearet, tamen fortiter in proposito perstitit magni animi Heros, nîl curans minas, nîl diras, nîl præsidia tùm Augustæ, tùm in Wirtembergicis oppidis & arcibus imposita, sed cum in Recessu, ut vocant, Imperii Comitiorum præcedentis anni perscriptum esset, ut, si quid Imperii ordines haberent, quod ad pacem & concordiam facere judicaretur, concilio proponerent, conscribi Confessionem à Brentio voluit de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus controversis Concilio offerendam. Fecit id Brentius ineunte Anno 1551. quo idem Princeps, cum omnium esset Ministrorum Confessio & uti solebat dicere, viderent oculi, quod non videt oculus, convocavit præcipuos ditionis suæ Theologos, quorum selecti fuere decem: ut consilia inter se conferrent. Isti igitur per aliquot dies Confessionem illam ad analogiam fidei & ad scripta Prophetica atque Apostolica examinârunt suâque subscriptione approbârunt. (a)

Capita hujus libri secundum ordinem sunt hæc: De Deo & tribus personis in unâ essentiâ; De Filio Dei; De spiritu Sancto; De peccato; De Justificatione; De Lege; De bonis Operibus; De Evangelio Christi; De Sacramentis; De Confirmatione; De Pœnitentiâ; De Contritione; De Confessione; De Satisfactione operis; De preci-

 bus;

(a) *Ex Orat. Heerbrandi Brentio hab. Melchior Adami p. 214, 215.*

bus; De jejunio; De Eleemoſynis; De Cœnâ Domini; De Conſecratione Sacerdotali; De conjugio; De extremâ unctione; De invocatione Sanctorum; De officiis defunctorum; De purgatorio; De Votis Monaſticis; De ſeptem temporibus, ſive horis Canonicis; De jejunio ulterius; De Aqua, ſale, vino & aliis conſecratis; De Scripturâ Sacra; De Pontifice; De Eccleſiâ; De Conciliis; De Scriptoribus Eccleſiaſticis & eorum authoritate; De Ceremoniis Eccleſiaſticis. In Epilogo tandem ſubnectitur: præcipuas, quæ indigeant reformatione, eſſe doctrinas de Pœnitentiâ; de Juſtificatione; De uſu Sacramentorum & de Cœlibatu Sacerdotum. Methodus ea eſt, ut ubique dictis Scripturæ S. capita doctrinæ roborentur, quibus dicta Patrum ſubjiciuntur. In Præfatione Confeſſionis editæ provocatur ad Auguſtanam Confeſſionem Anno 1530. Cæſari exhibitam, cui hæc Wirtembergica in omnibus Articulis & in ipsâ Subſtantiâ ſit conformis, nonniſi pro Repetitione illius habenda.

Fecit autem idipſum ſapientiſſimus Princeps communicatis cum Electore Mauricio conſiliis, qui Philippo Melanchthoni mandârat, ut doctrinæ capita conſcriberet, quæ poſt exhiberentur publicè; Eo confecto libro, cum ad octavum Julii diem Lipſiæ conveniſſent omnes Theologi & Eccleſiæ Miniſtri juſſu Principis, recitatur ſcriptum & omnium aſſenſu comprobatur. Licet verò hujus Saxonici & Wirtembergici ſcripti eadem eſſet Sententia, ſeparatim tamen ſuum volebat exhiberi Mauricius, ne ſi plures idem communi nomine ſimul propoſuiſſent, Cæſar factæ cujusdam ſocietatis conciperet ſuſpicionem.

nem. Veruntamen missis utrobique libellis & Saxonicum Wirtembergenses & Wirtembergicum Saxones & utrumque pariter Argentinenses Theologi cum legissent, approbârunt: atque ita convenit, ut suo tempore mitterentur in Concilium, qui hæc proponerent atque defenderent. (b)

Itaque circa initium Octobris Anno 1551. duo Legati Ducis Wirtembergici Tridentum veniunt, adferentes secum Confessionem fidei (scriptam ut opinor.) Nam paulò post legatis missam fuisse mense Novembri ex Sleidano Lucas Osiander refert, id quod de typis impressâ intelligendum censeo. Sed & in aliis circumstantiis nonnulla occurrit varietas, apud Sleidanum & Crusium. Sleidanus quippe Confessionem exhibitam ait & scribæ Concilii traditam, die 23. Novembris Anno 1551. Crusius autem Anno 1552. d. 24. Januarii. Sleidanus & Osiander quatuor tantum Theologos numerant, Crusius verò quinque addit quippe Jodocum Neobolum, Pastorem Æntringensem. Mancam tamen horum omnium relationem esse ex Actis Manuscriptis Ducalis Consist. didicimus. Primò namque Tridentum missi sunt, è Politicis Johannes Theodoricus à Plieningen & Johannes Heclinus; è Theologis verò Jacobus Beuerlinus & Jodocus Neobolus. Qui cum forma salvi conductus protestantibus Politicis & Theologis non satis cautum esset d. 1. Febr. sumto expatiandi prætextu reverti jussi sunt. Petierant autem Legati Protestantium aliam cautionis formulam, quàm proximè ad eam, quæ in

(b) *Ex Sleidano Lucas Osiander. Cent. XVI. Libr. III. Cap. 3. p. 560.*

in Basiliensi Concilio data erat, accedentem, quod Toletanus Cæsaris Legatus ægrè tulit. Undecimâ Martii Novi Legati Wirtebergici, Wernerus à Munchingen, nobilis, & Hieronymus Gerhardus Jure-Consultus & Pro-Cancellarius Tridentum veniunt, & à Cæsareanis Legatis (quos semper adierant, nunquam verò Pontificis Legatum) petunt responderi sibi ad postulata sui Principis exhibita Patribus dudum d. 14. Januarii, Theologos quoque paucis diebus adfuturos dicunt, qui doctrinæ confessionem nuper oblatam, consessui copiosus exponant. Deinde 19. Martii, Tridentum venere Wirtembergici Theologi, J. Brentius, Jac. Beuerlinus, Jac. Heerbrandus, Valentinus Vannius & Jodocus Neobolus, & Argentinenses duo, quorum alter erat Marpachius. Montfortum ergo Cæsaris Legatum mox adeunt Legati Wirtembergici, & Theologos jam adesse nunciant, & orant, ut cum Collegis det operam, quo Patres ad Postulata respondeant & ut inchoëtur actio. Wirtembergicus Princeps Confessionem fidei suæ Concilio jam exhibitam etiam typis imprimi curaverat, cujus aliquot exemplaria Wirtembergici Legati & Theologi (pauca tamen) aliquibus bonis Viris Tridenti communicaverant: Id Pontificius Legatus, Crescentius, ægerrimè tulit: etenim publicè antea exhibitum ad se receperat, oppressum cupiens: Quidam enim Episcopi, Italici & Hispani Confessionis illius exemplaria studiosè requirebant. Sed & Montfortus Legatus Wirtembergicis Legatis eam ob causam succensebat, innuens quasi spargendo Confessionem illam contra publicæ fidei leges commissum esset & quibus publicè de pe-

riculo

riculo cautum ſit, eis etiam omnem offenſionem fugiendam eſſe dicebat. Unde intelligi poteſt, quam facilè Patres prætextum invenire potuerint, quò minus proteſtantibus fidem ſervarent.

Interea Mauricius Elector Saxoniæ bellum Cæſari denunciarat & Auguſtam ceperat, jamque contendebat ad Alpes, ut aditus omnes & clauſtra viarum occuparet. Eo Tridentum allato nuncio ſtatim Epiſcopi Italici è Concilio profugerunt. Rebus itaque ad eum modum ſtantibus Legati Wirtembergici ab Oratoribus Cæſareis petunt veniam redeundi domum: rogati ſunt autem, ut diutius manerent, obtulerunt Oratoribus ſcriptum, in quo præter cauſas diſceſſionis etiam querebantur ſe hactenus fruſtra ſolicitâſſe de reſponſo ad poſtulata ſui Principis: nullam ſpem apparere actionis futuræ: Nec conſultum videri, ut ſine Germanorum Epiſcoporum in Concilio præſentia procedatur. Quod ſi alio tempore legitima fuerit controverſiarum inſtituta cognitio magiſtratus ipſorum negocio non defuturos: Orare ut ſuam abitionem boni conſulant. Sic ab Oratoribus dimiſſi ipſâ meridiè Tridento diſcedunt, domumque redeunt. vid. Sleidanus. Lucas Oſiander. l. c. p. 587. 590. Cruſius p. 682. Sparſa deinde ab apoſtata quodam calumnia fuit in libello Germanico de abſurdis Lutheranorum, ſe ex ore Brentii & Val. Vannii audiviſſe: Wirtenbergicos nunquam etiam à Patribus vocatos comparere voluiſſe, nec Brentium unquam voluiſſe congredi, donec Elector Saxoniæ vi armata Oenipontem perveniſſet faucibus Alpium perruptis. Præterea Cardinalem Tridentum multa ibi in Brentium contuliſſe beneficia. Certum enim eſt,

arce Erenberga decimo octavo Maji capta à Mauricio, postea illum demùm venisse Oenipontem. Legati vero jam mense Aprili discesserant. Cardinalis autem Tridentinus toto illo tempore, quo Tridenti erant Wirtembergici, absfuit & tantum in itinere Brentium humaniter salutavit. conf. Melchior Adami p. m. 215. ex Heerbrandi Orat. Brent. hab. Orta est hæc calumnia haud dubiè ex eo, quod Brentius ad privata Colloquia solus subinde invitatus comparere dubitaret, cum res periculo non carere & personam ipsius clanculum peti à Legatis judicaretur. Confer quæ diximus Part. I. Memor. in Vita Brentii. Sub id tempus F. Petrus à Soto Hispanus, Dillingæ oppido vicino Confessionem nomine suæ Ecclesiæ Catholicæ edidit, Scholiisque additis Christophori Ducis Confessionem Synodo exhibitam deformare conatus est. Fuit ille ἄσωτος à Soto Cæsari Carolo V. à Confessionibus, suumque scriptum ipsi Duci Christophoro dedicare non fuit subveritus, cui Brentius Apologiam à Petro Paulo Vergerio Italicè quoque conversam opposuit, qua Protestantium doctrinam ita adseruit contra Pontificiorum dogmata, & Concilii illius decreta ita destruxit, ut vel cæcus Pontificiam idololatriam erroresque verbo Dei damnatos palpare possit, & quod tum, si admissi & auditi fuissent Wirtebergici, coram in faciem dixissent id scriptis illis editis toti Ecclesiæ & Imperio est propositum. vid. Rumesch Applaus. Charitin. p. m. 60. & Melchior Adami p. m. 215. Quomodo autem Jac. Beuerlinus; Johann. Isenmannus & Theodoricus Snepfius operas refutationis cum Brentio conjunxerint quadripartitas & Anno 1561. ediderint

derint, supra Part. I. Memor. docuimus. Tantum de Confessione Wirtembergica.

De Exterminio Judæorum & Cingarorum è Ducatu Wirtembergico.

Confirmatâ religione obstacula ceperunt removeri, quibus veritas & pietas plurimum accipit detrimenti. Non minimum inter illa cohabitatio Judæorum deprehendebatur ipsâ experientiâ rerum magistrâ. Quamplurimi quippe ex Christianis Judæorum contagio assuescebant blasphemiis, perjuriis, exactionibus horrendis, comessationibus, aliisque flagitiis, ita, ut non pauci penitus tandem obærati officia, honores, conjuges, liberosque desererent, in exilium migrarent & fame perirent; quæ omnia in Ordinatione Wirtembergicâ disertè recensentur. (a) Altius tamen Princeps Sapientissimus, Christophorus, penetraverat in quæstionem de Judæis; Etenim ad eos, qui Judæorum receptionem ipsi persuadere volebant, dixisse fertur: **Wann diese verfluchte Leute mir wolten Gelt vollauf geben / wolte ich sie doch in meinem Fürstenthum nicht leiden / dieweil sie an meinem Bruder und Erlöser Treu-loß worden / und offentliche Zäuberer sind.** prout allegat ex Arb. Jud. Gilhaus. p. 1. c. 1. §. 1. Otto in dissert. de jure publ. c. 19. (b) Vera esse, quæ de Magia Judæorum pro-

(a) Würtemb. Land-Ordnung / *Tit. 27. §. 1. & 2. p. m. 56 edit. in 12.*

(b) *Vid. Lendenspührii, sive Besoldi Comment.* über die Würtembergis. Land-Ordnung. *p. m. 105.*

Pronunciavit Princeps omni laude superior nemo, qui res eorum penitius introspexit, dubitare queat. Omnes enim, si vel 12. aut 14. annos tantum habeant, uti nôrunt, מָגֵן דָּוִד, scuto Davidis, quo incendia extinguere conantur, descriptum à Celeberrimo W. Schickhardo. (e) Plurimi inter eos sciunt evocare, שבא מלכא, Reginam, quam vocant. Est autem illa ipsissimus Diabolus, sub specie Reginæ apparens cum choragis & choraulis, de quo proverbium habent: Facile est Reginam accersere, sed difficile illam abigere. Alia specimina Magiæ Judæorum, quam ope Cabbalæ exercere solent, legat, qui volet apud Hottingerum in Clave Scripturæ S. Thesaur. Philolog. p. m. 444. seqq. & J. F. Buddeum Introd. ad Histor. Philos. Hebræorum, p. m. 353. & 355. ubi non diffitetur Judæos hanc Kabbalam practicam probare & pro naturali habere.

Ob has itaque gravissimas rationes Wirtembergia ejecti sunt Judæi. Anno 1551. Unde iniquus est G. Arnoldus, ejusque hyperaspistes, quod Saxoniæ & Wirtembergiæ ordinationes contra Judæos suggillat. Vexata quidem est quæstio: Num Judæi à Magistratu Christiano sint tolerandi in Republicâ? Multi enim & olim & nunc in hâc quæstione excutiendâ fuerunt Scholastici, Canonistæ & Juris-Consulti; cum modernis Theologis. Alii affirmant, alii vicissim negant. Hottingerus inter Christianos tolerari Judæos certarum legum frænis constrictos posse, non autem à qualibet republicâ excipi debere, modestè asserit. lib. cit. p. 9. Christoph. Helvicus rationes

(e) *Tarich Persic. p. m. 56.*

tiones in utramque partem adducit & mediam viam tenet. (d) Sed sub iisdem conditionibus, quas etiam B. Carolus Junior in der Würtembergis. Unschuld. p. 36. approbavit. Absque iis Judæorum receptionem communionem scandalosam & crudelem misericordiam futuram pronuncians. Cui Arnoldi Assecla, in der Historischen Betrachtung/ contra Carol. Innoc. Wirt. pag. m. 404. infirmam prorsus exceptionem obvertit ab Exemplo Regiæ Majestatis in Borussiâ & aliorum Principum desumtam, à quibus Judæi citra istiusmodi conditiones sint recepti, ubi captiosè quærit: Will dann denenselben S. Carolus eine ärgerliche Gemeinschafft und grausames Erbarmen Schuld geben? Enimverò non exemplis, sed legibus & rationibus judicandum est. Non quæritur: quid agatur ab uno vel altero Imperii statu? aut ab aliis Regibus. Sed num illi, qui Judæos non admittunt, aliorum exemplum teneantur imitari? Sané, si exemplis res geratur, mox decisæ fuerint omnes controversiæ, neque in contrarium hiscere quisquam ausit. Quod si G. Arnoldo permissum fuit Electores Saxoniæ, ipsorumque cum Principibus Wirtembergiæ propter libertatem Judæis denegatam sub censuram vocare? quidnî B. Carolo eos defendere (non attentis exemplis) fuisset integrum? Attendantur momenta quæstionis & facilè patebit veritas. Fatemur omnino, posse in iis terris, ubi absolutum prædestinationis decretum publicâ religionis professione receptum est, non solum Judæos, sed & omnis religionis homines in rempublicam admitti? Per illam

(d) *Dissert. Giess. Tom. IV. disp. XI p. m. 255.*

lam quippe hypothesin expirat potissima receptionem Judæorum dissuadentium ratio, nempe periculum seductionis. Nam qui absolutè ad vitam æternam est electus neque Spiritum S excutere potest, is à Judæi blasphemiis & infidelitate sibi metuere nequit, sed prævalet potius spes, fore, ut unus vel alter Christo lucrefiat, tametsi Cl. Hottingerus, Reformatæ religionis Theologus Judæos nihilominus non â quavis republica excipi posse docuerit. Ex adverso, ubi seductionis possibilitas & electionis alterabilitas asseritur, quam cum Brentio nonnulli nostratium docuerunt, ibi certè nequaquam recipi possunt Judæi. Facilius enim seduci queunt Christiani, quàm Judæi ipso judicio divino excæcati atque indurati ad fidem Christianam converti. Pone, decem Judæos iri conversum si recipiantur, & unicum tantum Christianum cæterorum Recutitorum malitiâ & infidelitate corrumpi atque æternum perire. Nonne pro unicâ illa animâ Christiani deperditâ respondere tenebitur Magistratus Politicus Judæis (præsertim ob temporale lucrum) receptis? Neque enim compensata foret illa unica anima decem animabus Judæorum. In judicio quippe divino malefacta non compensantur benefactis. Neque facienda sunt mala, ut inde bona eveniant. Magistratus autem Judæos admittens per se (scienter & volenter) in ditiones suas inveheret blasphemias contra Christum, quas usque adeò omnes precationum Judaicarum libelli, ipsismet fatentibus & αυτοψία teste, complectuntur. Adeòque per se causa fieret Magistratus perditionis unius, & alterius animæ Christianæ. Conversionis verò Judæorum, si fortè aliquorum fieret,

fieret, non nisi per accidens erit causa; cum incerta prorsus sit illa conversio tempore receptionis; neque ex intentione Magistratus per se fluat, utpote in cujus potestate sita non est; sed tantum fit ex accidenti, positis juxta specialem Dei providentiam certis circumstantiis. At, inquiat aliquis Magistratus Politicus recipiendo Judæos per se copiam eis facit verbi divini, quo ad fidem Christianam possunt converti. Respondemus: Judæos conciones Christianorum sponte non audire, sed potius execrari, notum est. Neque etiam à Magistratu ad audiendum conciones queunt cogi; quod si cogantur, evadent pertinaciores, aut conversio ipsorum erit tantum hypocritica. Itaque ne quidem applicatio mediorum salutis est in potestate Magistratus quantum ad Judæos. Cæterum omnino verum est, quod G. Arnoldus observavit; Judæos à nonnullis tolerari magis ex rationibus politicis, quam ex verâ charitate, piâve intentione. Ideoque satius est eos in rempublicam non admittere, quam peccata peccatis cumulare. Reliquæ rationes in contrarium, præsertim illa de usuris, tanti non essent, nisi hæc in foro Conscientiæ maxima obstarent. Sed hæc pro vindiciis ordinationis Wirtembergicæ sufficiant. Si quis contrarium statuere velit, & majoris ponderis rationes allegare queat, per nos licet. Quid L. Osiandro Seniori propter Concionem circa hanc materiam obtigerit, doctissimus Tenzelius commemorat Bibliothec. Curios. Reposit. I. pag. 760. Conferatur omninò G. Lud. Lindenspührius, Stuttgardianus, qui admodum eruditè de totâ controversiâ disserit, tametsi salvâ eos conscientiâ tolerari posse, ubi spe-

cialis

cialis ſanctio non extet, ferè ſit, quod dicat. p. m. 106. Adducit tamen inter alias hiſtorias ex Felice Fabri, quod Anno 1348. magna Judæorum perſecutio facta ſit, quaſi ubique: adeò, ut gens Hebræorum crederet, finem veniſſe; undique enim comburebantur ſine differentiâ, ſenes & juvenes. Cauſa autem tantæ ſeveritatis erat, immaniſſima peſtis, quæ per totum ferè orbem graſſabatur, etiam in transmarinis partibus, & ubique Judæi inculpabantur, quod in fontes & aquas venena ſparſiſſent fatentibus id multis in tormentis. Cæterum ſub pœnâ ſanguinis & proſcriptionis bonorum Judæis prohibitum eſſe, ne cui Chriſtianorum ſectam ſuam perſuadeant; quomodo tamen Salomon Molchu ipſum Carolum V. ſeducere attentaverit, atque ob eam cauſam in Hiſpaniâ in fruſta fuerit diſſectus, ex Schickhardi Jure Regio cap. 5. pag. 156. ibidem refert. Et fruſtraneam eſſe iſtiusmodi prohibitionem, recentibus exemplis comprobari poſſet.

Cingaros, quod concernit, ordinatio Wirtembergica p. 67. Ducatu eosdem exeſſe jubet, eaque deſumta eſt ad verbum ex Receſſibus Imperii Anno 1500. 1549. Quod autem imprimis in hâc provinciâ ejusmodi colluvies hominum non admittitur, fit id ex eo, quia olim optimum maximum Principem Eberhardum I. Wirtembergiæ Ducem Sultano Ægypti prodere conati fuerunt. vid. Cruſ. Annal. Suev. P. III. p. 426.

De

De Petro Paulo Vergerio & ejus Actis.

Circa Annum 1555. in VVirtembergiam venit

PETRUS PAULUS VERGERIUS, *An. 1555.* Episcopus Justinopolitanus, quem inter Theologos Wirtembergiæ recensere dubitavimus rationibus ducti haud nullis. Primò namque Vergerius nunquam apud nos docuit publicè, sed privatam vitam egit. Deinde à quibusdam (maximè ab Authoribus Historiæ Gothanæ, qui Illust. Bœclerus & B. à Seckendorff fuisse perhibentur, p. 764.) nulli se Confessioni addixisse scribitur, quod ipsum D. Jacobus Andreæ subinnuisse videtur, quando controversiarum religionis non usque adeò peritum fuisse testatus est. De industriâ igitur historiam ejus in Supplementa distulimus. Duo autem fuere Vergerii cognomines, prior Justinopoli in Istriâ natus, Chrysoloræ Byzantini Philosophi Venetiis Græcas literas docentis quondam auditor, qui claruit in Concilio Constantiensi, Anno 1410. teste Trithemio in libr. de script. Eccl. Junior autem hic Vir fuit non solum in Theologiâ Pontificiâ sed & jurisprudentiâ eruditissimus. Anno 1530. Legatus in Germaniam ad Comitia Augustana à Pontifice Clemente VII. cum plenâ potestate missus est, in quibus, quâ ratione potuit, Lutheranis obstitit, primipilares verò Pontificios, Fabrum, Eccium, Nauseam, ut strenuè rem agerent, muneribus ornavit.

Anno 1533. Ferdinando Regi Romano filiam Catharinam unà cum Georgio Marchione Brandeburgico è S. Baptismo suscepit. Anno 1535. iterum jussu Pontificis Pauli III. in Germaniam reversus & ad omnes Principes Protestantes profectus Concilium illis Mantuæ futurum indixit: Eâdem in legatione Lutherum convenit Witebergæ, eumque ab instituto suo dimovere frustrà tentavit. Anno 1536. cum Principes & Ordines Protestantium per literas ipsi respondissent, liberum postulantes concilium intra Imperii fines loco opportuno, quod Cæsar ipsis sit pollicitus, magnâ celeritate Romam reversus est Vergerius, legationem Pontifici renuncians, qui celeriter eum Neapolin, ut eam Cæsari commemoret, misit. Reversus inde Episcopus Madrusiensis & non multò post Justinopolitanus factus est. Anno 1537. Cardinalem Aquensem, legatum in Germaniam missum, jussu Pontificis cum & ipse seriò res Pontificis ageret, statum Germanicæ edocuit, quomodo scil. quisque prensandus & appellandus esset. Anno 1541. ad Comitia Wormatiensia, tanquam Galliæ regis causâ, sed revera, ut Pontificis rebus eò rectius inservire posset, à Pontificè missus, composuit ibi typisque edidit orationem de Unitate & pace Ecclesiæ, & ut re infectâ, ducendo enim tempus & nectendo moram, diverticula Pontificii quærebant, concilium id finiretur, effecit. Sicque longo tempore utilis ejus opera fuit Romano Pontifici. Verum ab hoc tandem defecit hâc occasione mirabili: A Concilio Wormatiensi Romam venientem Vergerium Pontifex inter alios Cardinales creandos assignavit: Sed cum essent, qui insusurrarent, multa

Verge-

Vergerium consuetudine Germanorum factum esse Lutheranum, consilium Pontifex mutavit. Hoc ubi Vergerius ex Cardinale Ginutio audiisset, ut se purgaret, librum conscribere cepit, cui titulum dedit: Adversus Apostatas Germaniæ. Dum autem confutandi causâ libros adversariorum diligenter perlustrâsset, victum ipse se sensit, & ad fratrem Joh. Baptistam Vergerium, Polæ Civitatis Episcopum, profectus, rem ipsi totam commemoravit inque suam sententiam pertraxit, mutuoque ita sibi congratulantes populum per Istriam in verâ Evangelii doctrinâ erudierunt. Ortâ verò deinde ab Inquisitoribus (inter quos primas tenit Annibal Grisonius) gravi contra Lutheranos persecutione, horum violentiâ coactus, Mantuam ad Cardinalem Herculem Gonzagam, cui familiariter notus erat, divertit. Inde Tridentum ad Concilium purgandi sui causâ profectus à Legatis Pontificiis discedere jussus, Venetias & inde Patavium se contulit Anno 1548. ubi cum aliis spectator fuit miserabilis Exempli desperantis Francisci Spieræ, quo magis magisque confirmatus & Spontaneum exilium eligens, cum jam frater Episcopus Polæ non sine veneni suspicione esset mortuus, ad vicinos Rhætos pervenit, apud quos cum annis aliquot docuisset Evangelium, in Wirtembergiam pervenit (a) à Duce Christophoro receptus, qui Anno 1555. sequentes ad eum dedit literas:

Christophorus, Dei gratiâ Dux Wirtembergensis.

(H) 2 Salu-

(a) *Melchior Adami p. 59. seqq. Paulus Freherus Theatr. p. m. 206.*

Salutem Reverende, fidelis & dilecte Amice. Redditæ ſunt nobis veſtræ literæ, ex quibus inter cætera cognovimus quædam in cauſâ religionis veſtrâ manu Latinè ſcripta, à Paſtore Campidonenſi, cui ante ea tradideratis, amiſſa ac intempeſtivo quodam caſu ad Sacram Mtem. Regiam delata eſſe. Quamvis vero non dubitamus, vos vero & pio ſtudio in Evangelio Chriſti propagando ferri. Tamen ægrè nec libenter accepimus, vos adhuc hiſce in rebus tantâ libertate paſſim uti, præſertim cum hâc nihil proficere, eamque ad rem ipſam parum facere, vel ipſe animadvertere poteſtis. Cuperemus itaque vos in ſcriptis & ſermonibus veſtris (quoad ejus fieri poteſt) *moderatiorem* nonnihil & cautiorem eſſe, maximè hiſce adhuc temporibus & in hoc rerum & Eccleſiarum noſtrarum difficili ſtatu. Cæterum cum nunc Göppingæ degere vos intelligamus, ubi tanquam in loco celebriore propter multorum ibidem varia & frequentiſſima itinera, vos (qui haud dubiè à plurimis accuratius ac infenſius obſervamini,) non prorſus ſine periculo verſari judicamus. Hortamur inde ſecedentes in locum aliquem tutiorem hujus Ducatus noſtri commigretis. Datæ Stuttgardian. XVI. Februarii, Anno 1555.

Reverendo, fideli ac nobis dilecto amico

Petro Paulo Vergerio.
Epiſcopo.

Paruit hiſce Vergerius & Tubingam conceſſit, ubi in Stipendio Ducali victum accepit, (eique Vineam pro-

Proximè adjacentem, hodienum Vergerii nomine appellari ſolitam, ſuis ſumtibus emtam legavit. Frequens dein cum Maximiliano Romanorum Rege literarum habuit commercium, à quo Anno 1557. Viennam clanculum evocatus, veniam à Duce Chriſtophoro cum rogâſſet, admonitus eſt ab eo literis, ut in itinere majorem aliquantò cautionem adhiberet, ne perſona ejus agnoſceretur & aliquid periculi ſtrueretur. Abiit igitur Viennam mutato habitu & de rebus graviſſimis cum Rege collocutus eſt, quarum ſummam Duci Chriſtophoro aperuit, qui Conſiliarii ſui titulo eum jam ante abitionem ornaverat. Anno 1561. in gravem ſeſe Vergerius ſuſpicionem ſingulari facto conjecit. Cum enim à Legato Gallico peteretur, ut Dux Chriſtophorus Legationem mitteret ad Colloquium Poſſiacenum, Vergerius eam ſibi imponi optabat & urgebat. Quæ tamen illi negata fuit, quod in Theologicis controverſiis exercitatus minimè eſſet, & ad obeundam hanc Legationem in negotio tàm gravi minus idoneus judicaretur. Igitur vel indignatione & cupiditate vindictæ permotus, quod in petitione ſuâ repulſam paſſus eſſet, vel imprudentia peccans, faſciculum literarum D. Jacobo per Nepotem Aurelium Göppingæ tradi curat, quem D. Jacobus ſecum in Galliam perferat Cardinali Borbonio inſcriptas. Faſciculum hunc aſpiciens D. Jacobus Aurelio Nepoti Vergerii dicit: Vide ne fortè ſint literæ Uriæ. Aurelius hanc vocem ægrè ferens, ait D. Jacobo: Quo loco habes Dominum meum? judicas ne eum eo ingenio, ut tale quid faceret? Cui D. Jacobus: Tuus Dominus homo eſt. Aurelius contra Meus Dominus habet

in Galliis bonos viros magni nominis, qui in religione ſinceri, & ipſius ſummi amici ſunt. Ad eos ſcripſit. Id eo non eſt, quod tibi hoc nomine metuas. Difficulter autem acquieſcens tandem Jacobus literas accepit Cardinali in Galliis reddendas. Cum verò pluvia Legatorum Wirtembergicorum literas ad Regem & Principes deferendas madefeciſſet, faſciculus Vergerianus idem expertus eſt. Unde Legati re deliberata Operculum faſciculi, ilæſis Vergerianis literis, quas faſciculo contineri arbitrabantur, prorſus tollendum judicarunt, quod in quatuor angulorum partibus planè corruptum erat. Eo ſublato nullas prorſus literas Vergerii incluſas invenerunt. Sed duntaxat libellus Cardinalis Veneti de laudibus Sodomiæ & hiſtoria de Papâ Johanna 8. depicta continebatur. Unde autem & à quo mitteretur, ne ſyllaba quidem operculo inſcriptum erat. Quod cum vidiſſent Legati, Deo immortales gratias agunt, quod tam mirabiliter eos per iſtam pluviam ſummo periculo liberavit. Si enim faſciculus ille Cardinali redditus fuiſſet, in ſummum vitæ periculum non modò D. Jacobum, ſed cæteros quoque ejusdem Legationis ſocios conjectum iri dicebant, quibus ingenia Gallorum nota ſunt. Apud quos vix major injuria cuiquam accidere poteſt, quam ſiquis ſuppreſſo nomine ſine literis, vel nudam, vel maculatam papyrum alteri transmittat. Ad vitandum igitur & effugiendum periculum ſimul operculum & abominandum ſcriptum de laudibus Sodomiæ impreſſum in ignem conjiciunt & comburunt. Poſtquam ergò D. Jacobus ex Galliâ reverſus hâc de re Vergerium compellâſſet, isque D. Jacobum re-
con-

conciliatum optaret, interceſſores graviter ipſum reprehenderunt, quod eum cum cæteris Legatis faſciculo exhibito in ſummum vitæ diſcrimen adduxerit, reſpondit tandem: Pono caſum, quod voluerim D. Jacobum interficere, ſi eſt Chriſtianus, debet mihi ignoſcere. Tandem poſt multos libellos latinè & Italice editos mortalitatis legem explevit Tubingæ d. 4. Octobris, Anno Chr. 1565. & 7. ejusdem menſis in Sangeorgiano ſepultus eſt, cui D. Jacobus Andreæ, qui ægrotantem ſæpius acceſſerat, eique omnia officia humanitatis exhibuerat, Concionem funebrem habuit, ex 1. Tim. 1. oſtendens, quomodo Paulus fuerit Eccleſiæ perſecutor deinde ad Chriſtum converſus & Apoſtolus factus; quâ occaſione conſtantiam Vergerii in verâ religione collaudavit. (c) Monumentum ejus honori poſitum idque renovatum in eodem templo non procul altari hoc eſt:

Epitaphium.

Reverendiſs. in Chriſto Patris ac Dn. Petri Pauli Vergerii, olim Epiſcopi Juſtinopolitani Evangelicæ Veritatis amore in exilio mortui, Tubing. IV. Octobr. An. M. D. LXV.

* *
*

HAc ego ſum Petrus Paulus cognomine gaudens
Vergerii ſanctâ contumulatus humo.

(H) 4 Qui

(b) *Fam. Andrean. p. m 130. ſeqq.*
(c) *Cruſ. Annal. P. III. p. 725.*

Qui Justinopoli dicebar Episcopus olim
Legatus fueram regna per ampla Papæ.
Attamen abjecto mundus quem quærit honore,
Cum verâ amplexus sum pietate fidem.
Sic volui potius pius exul *in orbe vagari,*
Quàm Præsul *patriis impius esse locis.*
Petrus *eram primò, quia Te bone Christe* negabam,
Petrus *eram pascens post tibi, Christe, gregem.*
Paulus *eram, quia te contra, bone Christe,* fremebam
Paulus eram pro Te, Christe, ferendo crucem.
Vergerius *merito* vergens *dicebar ad orcum;*
Vergerius vergens *dicar ad astra poli.*
Quisquis es in meritum Christi qui fidis, ad urnam
Accedens nostram talia vota feras:
VergerIUs fUerat qUi CLarUs EpisCopUs oLIM
eX JVstInopoLI VIVat in arCe poLI.

Hoc Epitaphium cum sustulissent Interim Papistæ Anno 1635. reparavit Theol. ibid. Stipendium sumtibus Ducal. Anno M. DC. LXXII. (d)

Manifestum est ex his Vergerium in Augustanâ Confessione piè mortuum esse, cui etiam in suis Dialogis per honorificum testimonium exhibuit, prout idoneis argumentis comprobatum dedit B. Carolus. (e) Attamen in primis Conversionis suæ annis nulli parti strictè addictum fuisse vero haud est absimile. Itaque conciliari possunt hâc temporum distinctione

(d) *Vid. Rumetsch Charitum & Charitin Applausus, p. m. 60.*

(e) Würtemb. Unschuld. *p. m. 279. seqq.*

ftinctione obfervatâ, quæ ex Domino Seckendorffio G. Arnoldus, & adverfus iftum B. Carolus de Vergerio annotavit. Nec enim, fi probè rem expendamus, omninò funt ἀσύςατα, quæ hic & ille referunt. Neque de iis controverti opus eft. Verfatile ingenium Viro tribui, nec fufpicione caruiffe, quod conciliationem religionis quovis modo moliretur & ad vetera facra redire cogitaret Illuftris Seckendorffius (f) habet. Ubi laudat Pallavicinum, qui Libr. XV. cap. X. §. 13. & feqq. colloquia ejus referat, cum Zacharia Delphino, Veneto, Epifcopo Lefinenfi, Pontificio in Germaniâ Nuncio Anno 1561. habita, itemque literas ad Herculem Gonzagam Cardinalem Mantuanum datas, ex quibus fufpicio illa confirmari poffe videtur. Et fanè, fi Exempla nonnullorum, qui è caftris Pontificis ad noftra facra tranfierunt, præfertim Marci Antonii de Dominis, & continuas, quibus blandè revocari folent, pollicitationes cum perpetuis Satanæ, Mundi, propriæque carnis tentationibus, quas fuftinere ferè infuperabiles certum eft, confideremus, facilè quidem concludi poffet, fufpicionem de Vergerio non omninò vanam fuiffe. Cum vero Pontificiis folenne fit iftiusmodi Viris, maximè qui in fumma exiftimatione apud ipfos fuere, animum redituri entem poft fata demum affingere & Pallavicinus fubleftæ fidei Scriptor ab ipfius religionis fociis habeatur; Vergerius autem à tempore, quo literas ad Gonzagam reditus futuri indices exâraffe perhibetur, integrum quadriennium adhuc Tubingæ perfeveraverit,

(f) *Hift. Luther. P. III. p. 601.*

meritò constantiæ in verâ fide laudem à D. Jacobo tulit, quæ omnem desultoriæ levitatis suspicionem, saltem ex lege charitatis, diluere debet. Addimus hisce

Summam earum rerum, quæ Vergerius ex Austriâ rediens (de habito cum Maximiliano, Rege Romanorum, Colloquio) Christophoro Duci renuntiavit, in Manuscripto benevole nobis communicato.

OMnia, quæ de rebus Austriacis narravi, eò potissimum tendunt, ut V. Illustrissima Cels. intelligat Papam nullum tempus intermittere, quo per suos Jesuitas, aliaque instrumenta, & practicas non anxiè quærat subvertere bene cæptas reformationes Ecclesiarum, præsertim vero Serenissiimi Maximiliani pium animum, hunc tamen manere constantem, Deo gratiæ.

Dixi inprimis Nuncium Apostolicum Maximiliano dixisse Papam (ut ulcisceretur Philippum Angliæ Regem) se velle Illustrissimis Germaniæ Principibus liberam relinquere religionem, dummodo unà cum ipso Papa caperent arma contra Carolum Quintum, atque ipsum Philippum. Ipsumque Papæ Nuncium se jactasse quòd Papa jam traxisset Albertum Brandeburgensem in suas partes.

Deindè dixi Papam, facta pace cum Philippo, misisse Secretarium ad Ferdinandum, sub persona seu larva Jesuitæ, qui primum conquereretur ipsum Ferdinandum nimis favisse colloquio Vormaciensi,

ciensi, ita ut ipsum colloquium procedere potuisset, nisi collocutores catholici fuissent diligentes, & Secretarius ille disertè dixit, quod Papæ valdè carum fuerit, quod dicti collocutores colloquium interturbaverint.

Dixi etiam de hoc secretario Jesuita, quòd dixerit Ferdinando, Papam conqueri, quod Philippus pauciores jam comburit propter Confessionem nostræ fidei, quam Rex Gallorum.

Dixi Maximilianum noluisse ad se admittere Secretarium illum, qui tertio tentavit suam Regiam Cels. accedere, adjutus etiam à Martino de Guzman, sed fuisse spretum & contemptum.

Addidi Eundem Maximilianum solere graviter objurgare & vexare Jonam Vice-Cancellarium, quando eum audit laudare Papam & Roman. Ecclesiam.

Dixi de gravissimis contentionibus, quæ fuerunt inter Ferdinandum & Phauserum prædicatorem Maximiliani, & de literis invicem scriptis, ac de gravissimis atque ignominiosissimis verbis, quibus Ferdinandus ipsum Phauserum oneravit, suam indignationem ac mortem etiam minando, nisi desisteret à nostra doctrina prædicanda. Imo multa gravia verba pronuntiando contra omnes, qui sequuntur nostram piam doctrinam, & præcipuè contra vos Illustrissimos Germaniæ Principes.

Ita in summa ut affirmari possit, Ferdinandum nunquam fuisse tam acerbo animo, atque amaro Zelo contra nostram religionem, ut nunc est.

Præ-

Præcipua causa est, quod sua Majestas videat Maximilianum (quem Pater excepta religionis causa) plus quam dici possit, amat planè accessisse ad partes nostras, atque unà cum eo maximam partem hominum, qui sunt in ditionibus suæ Majestatis: Est itaque inflammato animo, quod videt se non potuisse tanta diligentia qua usus est per multos annos retinere cursum nostræ Doctrinæ.

Dixi quomodo sua Majestas tentaverit collocare filios Maximiliani sub institutione & disciplina alicujus Jesuitæ, Maximilianum verò viriliter restitisse.

Dixi Ferdinandum cum Francfordiam venturus esset eo animo fuisse ut (si pro consequenda dignitate imperii necesse esse videret) libenter juraturus fuisset se non molestum futurum nostræ religioni. Nam Papa absolutionem ei fuisset daturus à juramento. Si illud non servasset.

Dixi deinde Maximilianum & solere conqueri, quod sit tamquam puer qui visitet Scholas, ideo necesse habere ut informetur adhuc de his quæ ad nostram religionem pertinent, revera enim neque sua RegiaCels.neque qui illi assistunt sunt benè in hac causa exercitati, putant enim se posse dissimulare, & missis interresse, se posse accipere cœnam sub utraque specie ex manibus sacrificuli papistici, atque alia hujusmodi. Dixi ergo tum Regem, tum reliquos, qui illic videntur amare Evangelium esse juvandos, Regemque ipsum & reliquos hoc petere ut juventur.

Præcipuè vero Nobiles qui sunt in ipsa Austria, Stiria, Carinthia, & Carniola. Qui gratissimam habue-

habuere Versionem Novi Testamenti in linguam Slavicam, petuntque sibi adornari Versionem veteris Testamenti, & alios selectos aliquot libros mitti, quibus possint proficere.

In primis petunt ut V. Cels. velit eos habere commendatos, primum apud Maximilianum, apud quem omnes jam norunt Cels. Vestram plurimum valere gratia & authoritate. Deinde in Comitiis quæ proximè celebrabuntur. Nam in animo habent mittere Legatos & experiri an possent à suo Domino per Vestram intercessionem obtinere libertatem reformandarum Ecclesiarum ad normam Evangelii.

Hæc sunt præcipua Capita quæ de statu Maximiliani & statu rerum Austriacarum dixi.

Addidi de Moravia, quod ea abundet Anabaptistis magis quam unquam antea, & quod nuper eò confluxerint circiter XXX. profugi ex Italia, nec non, quod illi Anabaptistæ nuper susceperint, & ceperint defendere articulum illum de Trinitate propter quem Gribaldus fuit condemnatus.

De Boëmia dixi, quod Valdenses cum eorum Confessione valde illic proficiunt, confirmantur enim & augetur numerus cotidie. Maximilianum vero pessimè sensisse de illis, atque existimasse esse malos Viros cum mala doctrina; me autem sperare, quod suæ Regiæ Cels. talem opinionem, atque errorem ademerim, quod magni momenti existit, nam si sua Regia dignitas pervenisset ad administrationem Regni antequam illo errore exutus fuisset, aliquid profectò durius in bonos Valdenses statuisset.

De

De rebus Polonicis dixi, Laschum sperasse quod potuerit trahere in suam de Eucharistia sententiam, imo se jactasse quod jam traxisset Magnificum D. Jacobum ab Ostorogum, quod si verum fuisset Laschus totam Poloniam sibi lucrifecisset. At ostendi literas V. Cels. quas ad me scripsit unus ex Concionatoribus ejusdem Magnifici D. Jacobi, qui affirmat Dominum suum nihil voluisse immutari in Confessione Valdensium, sed in ea Constantem velle manere.

Addidi & lectis eisdem literis ostendi quod Theologi Helvetii scripserunt & miserunt in Poloniam censuras, & reprehensionem in Confessionem Valdensium suadentes ut ista Confessio atque Augustana ejecta, suscipiatur illic Helvetica Confessio.

Quare cum Helvetii non desistant sollicitare Polonos, ut à Confessione nostra discedant, reverenter consului quod sit talibus practicis, aut missa (quando Comitia illic celebrabuntur,) legatione, aut alio modo occurrendum, qua de re tunc pluribus agam cum Palatini Vilnensis literæ ea de re advenerint.

Scripta P. P. Vergerii.

Actiones tres ad Paulum IV. Pontificem Concilii Tridentini renovationem molientem, sub ficta Secretarii Pontificii persona institutæ.

Consilium sub nomine Cardinalium Bononiæ, An. 1553. à Julio III. congregatorum de reformatione conscriptum.

Epistola

Epistola ad Sigismundum Poloniæ Regem, in quâ de vexationibus Pontificis per multos annos à se toleratis queritur.

Dialogi quatuor contra Stanislaum Hosium, Episcopum Varmiensem, postea Cardinalem, Alberto Borussiæ & Nicolao Radzivilio Olivæ Duci Anno 1559. dedicati.

Annotationes in Catalogum librorum hæreticorum Romæ editum ad Stanislaum Comitem ab Ostorog. Polonum eodem Anno 1559.

Dissertatio de Idolo Lauretano ex linguâ Italicâ à Ludovico Vergorio, quem nepotem vocat, id est, fratris filium versa Anno 1556. cui adjuncta sunt Petrarchæ testimonia, quod Papa sit Anti-Christus & Roma Babylon.

Scholia in binas Pauli IV. literas Anno 1563. edita ad Joh. Tarnovium Castellnaum Cracoviensem & Ordines regni Poloniæ.

Hæc Primo Tomo continentur, Tubingæ excuss. Anno 1563. in 4.

Pallavicinum de iis conqueri, raròque hodiè inveniri annotat Seckendorff. l. cit.

Extat etiam ejus Revocatio Germanicè versa & Revocation. Jac. Reihingii annexa per Lucam Osiandrum, Juniorem sub titulo: Wider-Ruff *Petri Pauli Vergerii*, welcher in Zeit Er zu *Capodistria* Bischoff gewesen / zweymal in Teutschland von dem Papst gesandt worden / ausser dem Italiänischen verteutscht / von *Ludovico Vergerio*, *Anno* 1558. gedruckt zu Tübingen / bey Dietrich Werlin / *Anno* 1622. in 4.

De

De Reformatione Monasteriorum sub Duce Christophoro.

§. 13.

An. 1557. INter cætera ornamenta, quæ Wirtembergico agro singulari Dei benignitate contigere, non extremo loco habenda sunt Collegia Monastica, quæ hinc inde dispersa mediocri numero conspiciuntur, ab authoribus in eum finem instituta, ut essent seminaria in quibus floreret Religio, vigeret disciplina, docerentur bonæ literæ & utriusque sexûs homines ad veram Dei cognitionem, pietatem & bonos mores educarentur, ne deessent homines idonei, qui & ad Ecclesiæ Ministerium & Reipublicæ gubernacula adhiberentur. Erat enim rudi illo seculo vix dum depulsa barbarie & recens plantato Christianismo in Germaniâ densa caligo, ignorantia bonarum rerum maxima, doctorum hominum penuria summa. Eo fine Monasteria fundata & Sacerdotum Collegia instituta atque à Magnatibus amplissimis reditibus locupletata fuere. (a) Testatur id Lex à Carolo I. ex Germanis Imperatoribus, qui ob rerum à se gestarum amplitudinem MAGNI cognomen sortitus est, promulgata, quâ præcipit ut Monachi & Sacerdotes literis sedulò operam darent, in omnibus contuberniis Monachorum & Episcoporum ædibus pueros

(a) *Christoph. Heermann. Orat. Bindero hab. pag. 26.*

pueros docerent. (a) In Collegio Fuldensi vetustissimo enutritus fuit Hildebertus, sedi præfectus Moguntinæ, vir præter vitæ sanctitatem literis illustris, cujus Operâ Otto I. ad Imperii fastigium evectus fuit. Hujus colonia est in nostro orbe (Ducatu) Hirsaugia antiquissima Schola & instructissima bibliotheca olim insignis, quæ demùm ad Concilium Basiliense avecta ex eo nunquam comparuit. (b) Monachi in hoc Cœnobio sunt inventi quondam Latinè, Græcè, Hebraicè & Arabiè doctissimi. (c) Duravit ea res aliquot seculis, donec adaucta superstitione & verbo Dei sincero obscurato crevit opinio meriti, ut pleriq; suas facultates eò conferrent in remedium animarum, quo in consortium bonorum operum, precum, jejuniorum, vigiliarum, abstinentiarum & hujusmodi ἐντάλμασι ἀνθρώπων, confraternitatem vocârunt, admitterentur, quibus tecti & ad Tribunal Dei citati examen severæ justitiæ impunè evaderent.

Inde accidit, ut à primâ institutione in manifestum abusum prolaberentur, & opibus cum dignitate accrescentibus, neglectis studiis evaderent prytanea lustra potius, in quibus ociosi ventres alerentur, qui tecti larvâ & externâ quâdam religionis ostentatione, fucum verius dixeris, advenas hospitio exciperent, negotiationes exercerent, opes suas stabilirent & ad imitationem Principum secularium εὐεργέται salutarentur. Is hodierno die Monasteriorum sub regno Pontificio status est. (d)

(I) Fœdam

(a) *Aventinus Annal Libr. IV. fol. 368.*

(b) *Nauclerus Chronogr. libr. 2 generat. 32. fol. 664.*

(c) *Vid. Cruf. Annal. P. II, Libr. VIII p. 276.*

(d) *Heermannus l. cit.*

Fœdam hanc profanationem optimus Princeps religioni & justitiæ instaurandæ natus Dux Christophorus sublatam eaque pristino nitori restituta esse voluit. Ejecerat quidem jam Dux Ulricus Monachus è latibulis suis, prouti supra indicavimus, neque id citra meritum eorum, cum uti disertè Trithemius fatetur, illius tempestatis Monachi cellas inhabitarent pulcras & lucidas, mentes autem sine lumine sanctitatis negligerent vitiis & ignorantiâ tenebrosas. Ita similiter cum calices olim essent cuprei, fuerunt aurei & in cuprum sacerdotes videntur esse mutati. (e) Monasteria tamen in Scholas nondum à Duce Ulrico fuére conversa. Princeps igitur Christophorus, consilio Brentii & aliorum in omnibus & singulis ditionis suæ masculini sexus monasteriis ludos literarios aperiri mandavit, in quibus unà cum sacris eruditæ linguæ ἔντεχναι dictæ & bonæ artes traderentur. Pueris ex omni provincia delectu habito, qui & ingeniis excellerent & bonam præ se ferrent indolem magno numero hinc inde distributis. His præfecit extinctis prioribus illis Monasticæ Professionis hominibus viros ætate graves, eruditione & morum integritate præstantes, non fœdis amplexibus pollutos, sed honestos maritos, qui cum dignitate præessent. Idem Heermannus ex parte.

Hirsaugiæ Monasterium fundatum erat Anno Dominicæ Nativitatis DCCCXXXVII. Indictione XV. ab Erlafrido Comite Calvensi, qui insequente anno Monachos à Rabano Mauro, Abbate Ful-

(e) *Trithem. Chron. Hirsaug. P. I. p. 4.*

Fuldensi precibus obtentos lætus introduxit. Vivebant illi secundum regulas communis omnium Monachorum Patris, Benedicti, cujus ordo per totam Europam ubique quondam potens, gloriosus & venerabilis erat, in quo per multos annos studium maximum vigebat Scripturarum. Atat, Trithemio teste, circa Annum 1515. & sequentibus nullibi indoctiores cæteris reperiebantur, quam Ordinis Benedictini Claustrales. (f) Dimissis igitur illis Anno 1534. Johannes Abbas, de Bietigheim oriundus, remansit, 400. florenos in annum percipiens. Occupatâ verò à Carolo V. Imperatore Wirtembergiâ Anno 1548. potestatem receperat, Monachosque dispersos colligens novitios adolescentes suscipiebat. Sed Anno 1552. Dux Wirtembergiæ Christophorus, cum Confessionem suam Tridentino Concilio obtulisset, cum Abbatibus egit, ut secundum eam omnia facerent, præsertim Scholas olim Monasteriis usitatas restituerent, in eisque cœlestem doctrinam traderent. (g) Paruit in nonnullis Johannes, qui Infulam tenuit usque ad Annum 1586. quo vivis excessit. Epitaphium ejus olim in Templo cernebatur erectum hâc epigraphe:

A. D. LVI. obiit pius in Christo Pater, *Johannes* Sculteti, Abbas hujus Monasterii, natus de Bietigheim, qui regnavit triginta annis. Et sub illo pictura hujus templi incepta & finita est. Tandem est mortuus & sepultus hîc in medio Ecclesiæ. Cujus anima requiescat in sanctâ pace, Amen.

d 13. Decembr.

(f) *Chron. Hirsaug.*
(g) *Crus. P. III. 671.*

Successit in locum ejus 44. Abbas, LUDOVICUS, Stuttgardianus. Relicto in Monasterio Anno 1534. in patriam se ad vitam privatam receperat. Cum autem plurimos annos Conventualis atque Prior fuisset, supplex est factus Principi Abbatiam petens. Optato igitur responso potitus Abbatem usque ad Annum 1560. egit, & d. 18. Aug. obdormivit. Epitaphium ei sculptum erat in medio templi è regione suggestus:

Reverendus hujus Monasterii Abbas, Dominus *Ludovicus Velderer*, Stuttgardianus, parentibus honestissimis Georgio Velderer & Margareta Seckachin, in Christo moritur, An. 1560. die 18. Aug. ætatis suæ 84. (h)

Velderero jam An. 1557. (Besoldus habet, Anno 1558.) coadjutor datus est, Henricus Weickersreuterus, cujus aspectum non ferebat alter; Er hat ihn weder wissen noch sehen wollen / si Besoldo fides. (i) Weickersreuterus, cujus memoriam habes Part. I. p. 46. Tubingæ literas didicerat, ubi & Diaconum An. 1548. egit, elapsis aliquot annis Theologiæ Doctor creatus, candidum pectus, Theologus sincerus, qui sacrarũ literarum peritiam non in subtilium quæstionum & argutarum disputationum cavillationibus vanâ quâdam ingenii ostentatione collocabat, sed vitæ sanctimonia & honesta morum disciplinâ exprimere studebat; juxta encomium Dn. Heermanni l. cit. p. 27. Monumentum in tabulâ ad columnam pendebat olim Hirsaugiæ his verbis:

Clarissimo

(h) *Crusius* p. *697.*

(i) *Documenta Monast. VVirtemb. Red.* 6. *p. m.* 623.

Clariſſimo Viro, D. Heinrico Weickersreutero, Doctori Theologo & Monaſterii hujus Abbati digniſſimo A.M.D.LXIX. d. 8. April. piè mortuo F. F. F.

WEickersreuterus jacet hic, venerabilis Abbas,
Quis fuerit? lecto carmine, doctus eris.
Cum vitæ & ſtudii clareret nomine nactus
Regenſpurgiacæ eſt ſceptra ſuprema Scholæ.
Mox claram docuit verbum cœleſte Tubingam:
Poſt Calvenſe annis pavit ovile novem.
Doctorem hinc fecit laudata Tubinga ſacrarum,
Abbas Hirſchaviæ factus & inde fuit.
Primus Evangelicus pia dogmata tradidit Abbas:
Spectandus vitâ, religione, fide.
Hîc duo luſtra vigens, numeroſâ prole beatur,
Chriſto animam placidè reddidit inde ſuam.
Poſt Könninga uxor natorum funere triſtis
Peſte Tubingenſi ſtrata necante fuit
Hoc jacet ipſe quidem templo, jacet ipſa Tubingæ
Sed videt aſpectum mens utriusque Dei.

Vid Cruſ. Part. III. p. 736.

Secuti ſunt eum in ordine Abbates Evangelici usque ad Annum 1634. quo Proteſtantium res clade Nördlingenſi ſuccubuerunt: Joannes Parſimonius. Antonius Varenbulerus; D. Joannes Brentius; Joannes Huzelinus; Paulus Ruckerus; Albertus Bauhoſius. Succeſſére deinceps Pontificii, imprimis Andreas Gerſtius usque ad Annum 1648. Pace autem redditâ reſtituti ſunt Evangelici: Elias Springerus;

Bernhardus Wilderſinius; Chriſtophorus Lindenmajerus; Johannes Schübelius; Matthæus *Eſenweinius*; Jacobus Rothweilerus; Paulus *Achatius* Daſerus. Matthæus Aulberus & Joh Ludovicus Dreherus, qui obſes pro patriâ cum aliis factus, Metis in Lotharingiâ pulcherrimam mortem oppetiit, Anno 1695. Hodiè Infulam illam gerit Maximè Rev. Dominus, Johannes Oſiander, Conſiſtorii Director. Inter eos nonnulli fuére Generales Superattendentes, quorum vitas paucis tantum exceptis, ſuis locis exhibuimus. Monaſterium cum inſigni palatio Ducali & pulcerrimi operis templo in cineres à Gallis Anno 1692. redactum, deſolationi etiamnum ſubjacet. Foverat olim ultra 100. Monachos, poſtmodum 20. 30. usque ad 40. Scholares.

Inter S. Benedicti propagines, non poſtremæ dignationis apud Pontificios ſunt Ciſtercienſes, auſpiciis Roberti Abbatis Molismeniæ, exorti. Is quippe inordinatæ vitæ Benedictinorum pertæſus Stephani Hardingi, Angli, conſilio, relictâ iſtorum ſocietate cum 12. Monachis, Ciſtercium, Burgundiæ vicum, ſe contulit atque Anno 1098. conventum peculiarem formavit. Confirmatus eſt hic ordo à Pontifice Urbano II. Anno 1100. penetravitque in Angliam Anno 1132. Habitus eorum erat griſei coloris. Unde primùm griſei vocati ſunt. (k) Hujus ordinis erat S. Bernhardus, qui in Wirtembergico Ducatu præcipua poſſederunt Clauſtra poſt Hirſoviam. Tale eſt Monaſterium Bebenhuſanum à Rudolpho, Comite Palatino Tubingenſi & Mechtilde

(*k*) *Alexander Roſſæus de Religion.*

tilde illius conjuge Anno 1218. extructum. Ibi frater *Sebastianus Lucius* (al. Hebenstreit,) Tubingensis, cum Abbatia restituto Wirtembergico Duce Ulrico Religionis 1535. immutatore 13. annos vacavisset, & ipse cum conventu exularet: in exilio à monachis electus est, præsente eis Schœnaugiensi Abbate Sebastiano, visitatore ipsorum & Maulbronnensi Abbate Henrico, ac Bernardo Majero, majore Cellario in Salem, loco sui Abbatis. Postea Anno 1549. 20. Martii, rediit cum fratribus suis Bebenhusam à Carolo V. restitutus. Crus. P. III.

Permisit Dux Christophorus, ut Abbatiam administraret usque ad Annum 1560 quo propter senium Tubingum concessit liberali victu Principis sustentatus; vixit usque ad Anno 1577. juxta inscriptionem sepulcri, quod in Ecclesiâ Collegiatâ Tubingæ extat.

Anno Domini M. D. LXXVII. Cal. Decembr. Obiit Reverendus Dominus *Sebastianus Luz*, Abbas in Bebenhusen Vir magnæ prudentiæ & maturitatis, cujus anima requiescat in pace.

Subrogatus illi fuit Eberhardus Bidembachius d. 3. Dec. Anno 1560. sapientiâ eloquentia rerum cognitione & usu præstantissimus, Heermanno teste. (l) Nicodemus Frischlinus ejus quondam discipulus ita de illo canit:

Hanc Eberhardus habet sedem Bidembachius Abbas
Erudit & mirâ sedulitate scholam.
Vir pius & juxta superûmque hominumque minister
Vir sacer & doctâ relligione gravis.

(l) L. c. p. 27.

Inclytus & divâ ter præstantissimus arte
Pierii lumen præsidiumque chori
Eloquii virtute potens atque ore diserto,
Teutona sive velit sive latina loqui.
Cujus & ornatum studiis atque arte sacratis
Laurea supremo cinxit honore caput.
Non reliquas merito celebrabo carmine dotes,
Non animi sanctas uberioris opes.
Omnia Mæoniam sibi poscunt omnia venam
Nec possunt versu pauperiore cani.
At quoties non est dignas tibi reddere grates
Pro meritis, animo magne Eberharde, tuis.
Qui quondam informem solidâ probitate, rudemque
Artibus ornâsti salvificâque fide.
Pro quibus officiis fore me memoremque piumque
Per caput hoc juro Pieridesque meas.

Bidembachio successere ordine quisque suo Joh. Stecherus, Andreas Grammerus, Georgius Schroppius, Jacobi Abbatis Maulbronnensis Part. I. memorati filius, qui Præpositus Denckendorffensis antea fuit, antequam Bebenhusam pervenisset, d. 21. Junii, 1612. extinctus. Lucas Osiander Junior, Jacobus Heilbronnerus, Joannes Magirus Junior, Joh. Henricus Wielandus, Joh. Valentinus Andreæ, Joh. Jac. Heinlinus, Joh. Conradus Zellerus, Josephus Cappelius, de quo vide Joh. Christ. Blumii Jubilæum Theologorum emeritorum §. 24. p. 64. Hodiè præest Monasterio Dominus D. Andreas Hochstetterus, Theologus Veteranus & doctissimus. Ci-

Cistercienſis quoque Ordinis erat Maulbronna, Monaſterium præpotens medio inter Pforzhemium & Brettam itinere ſitum atque à proximo fonte ſic nominatum, Anno 1148. fundatum à Spirenſi Epiſcopo Gunthero Comite Leyningenſi. Ad quam fundationem nobilis Vir, Waltherus de Lamersheim primo contulerat prædium Erkenwileram, ut ibi conderetur hoc cœnobium. vid. Cruſium. (m) Qui hæc hauſit ex Bruſchio. Hoc in Cœnobio primum 24. Alumni fuère ſuſtentati, nunc ultra 40. capit. Primus hîc poſt Joh. Epplinum & inſtitutam reformationem uxoratus Abbas fuit Valentinus Vannius, D. Heermanni encomio, (n) univerſæ antiquitatis peritiſſimus, methodi artifex ſingularis, cujus formam in concionibus popularibus venuſtiſſimè exprimere noverat, eum inſecuti ſunt, Johannes Magirus, poſtea Præpoſitus Stuttgardianus; Jacobus Schroppius; Wilhelmus Holderus; Felix Bidembachius; Erasmus Grünningerus, itidem Præpoſitus Stuttgardiæ factus. Lucas Oſiander, Junior, tandem Cancellarius Tubingenſis. Melchior Volzius, Joh. Henricus Wielandus, Ludovicus Leipzig, Henricus Dauberus, Joſephus Schlotterbeccius; Joh. Ulricus Bauderus; Joh. Melchior Nicolai. Dominus D. Andreas Hochſtetterus ſuperſtes, ſub cujus pedo ac informatione ſolidiſſimâ & ipſe quondam adolevi. Johannes Zellerus, Dominus D. Joh. Wolffg Jægerus, Magnif. Univerſitatis Tubingenſis Cancellarius; Hâc ætate præſulem

(m) *Annal. P. II. p. m. 401.*
(n) *Loc. citat. p. 28.*

agit, Dominus Georgius Burckhardus Knœbelius, Ecclesiæ Stuttgardianæ Visitator dignissimus.

Cistercienſium denique habitaculum fuit Alba Dominorum (Herren-Alb) in finibus agri Wirtembergici Anno 1148. à Berchtoldo Comite Eberſteinenſi extructum, cujus in ingreſſu templi ſub fornice extat tale monumentum;

Si quæris lector, fuerit quo nomine dictus
Noster fundator, Bertholdus nomine fertur,
Ipsum ſi ſcieris, nunc detinet aula perennis.

Erat magnificum quondam Monaſterium, Maulbroñenſi quoad ſtructuram ſimilimum, ut ab eodem Architecto, quia eodem quoq; tempore, conditum eſſe videatur. Belli tricennalis tempeſtate, incuriâ, an induſtriâ Pontificii Abbatis templum conflagravit. Unde in hunc usque diem unam ruinam trahit poſt alteram. Sub initia reformationis Lucas Gerſtettenſis propè Mynſingam Abbas erat, qui à Duce Ulrico fuit incarceratus, quod 30. millia aureorum in diverſa loca abalienâſſet. Reſtitutio ejus nulla ſecuta. Sed obiit Cal. Sept. 1546. Sepultus Stuttgardiæ. Interea Vices Abbatis egit Philippus Degen ſæpè laudatus P. I. Memor. & in Supplem. p. 17. Cum vero Interimiſticâ ætate reſtituerentur Monachi, Georgius Paiſſius, aliâs Tripelmann, Tubingenſis ordinatus eſt Abbas per fratrem Theobaldum Novi caſtri diœceſis Argentinenſis Ciſtertienſis ordinis Viſitatorem d. 15. Nov. 1548. confirmatus deinde d. 5. Sept. Anno 1549. à Joanne Abbate Ciſtercii in Cabilonenſi diœceſi & Capituli Generali,

plena-

plenariâ fungens authoritate. Postea tamen concubinam suam duxit uxorem & Abbatiam Degenio reliquit humatus Mercklingæ. (o) Philippum Degenium in Abbatiâ excepit Conradus Weissius vir eo loco dignissimus Anno 1589. d. 25. Sept. ex Præceptore Claustrali ad illam dignitatem evectus, qui Anno 1595. obiit. (p) Secuti sunt Nicolaus Wieland, Elias Zeitterus, An. 1617. Conradus Haselmajer Anno 1627. Daniel Lederer 1634. post eum Pontificii obtinuere. Quibus Anno 1648. expulsis propter incendium templi nullus ex Evangelicis sedem ibi amplius fixit, sed titulum tantum cum paucis proventibus tulére diversi, J. Laur. Schmidlinus, Joh. Ulricus Meurerus, Superattendens Stuttgardianus; cui in officio successit Dominus Ericus Weismannus, impræsentiarum Antistes Ecclesiæ Cathedralis;

Ex his 4. scholis monasticis, quæ olim præcipuæ fuerunt, Provinciales (Land-Schulen/) appellatæ quovis semestriBaccalaurei fiebant,qui postea Tubingam in Stipendium Ducale promoti studia illic continuârunt. Ut vero Princeps Christophorus quorundam egestati consuleret, scholas Grammaticas in cæteris novem monasteriis instituit, ut illic ex optimis authoribus latinum sermonem addiscerent. (q) Erant igitur tredecim istæ Scholæ tot orphanotropheia, disertè namque constitutum erat, ut pauperes vel tantum, vel ut plurimum reciperentur. Omnes istas Scholas cum suis ritibus descripsit Nicode-

(o) *Crus. Annal. P. II. p. 406.*
(p) *Brunnius p 37.*
(q) *Frischlin. Eleg. Lib. 4. lit. K. ad marginem.*

Nicodemus Friſchlinus. Ordinationes leguntur, in der groſſen Würtembergiſchen Kirchen-Ordnung.

De Reformatione Leutkirchæ plura.

§. 14.

An. 1558. E Civitatibus Imperii, quæ per Dei gratiam Evangelii prædicationem, Wirtembergicorum cumprimis Miniſterio, feliciter receperunt, etiam Leutkircha eſt, Sueviæ Superioris Urbs, quæ periculoſiſſimo rerum ſtatu religionem Evangelicam profiteri cepit publicè. Summam rei refert Illuſtris Baro à Seckendorff. Hiſt. Lutheran. Libr. III. p.m. 664. Obtinuit, nempe, ut ſupra innuimus poſt varias turbas Senatus continuis ſolicitationibus & interceſſione Chriſtophori Ducis Wirtembergici, ut religionis exercitium templo S. Martini horis matutinis permitteretur; ſed cum id quoque non ſine variis moleſtiis fieret, æde hoſpitali S. Jacobi ab anno 1551. usque ad annum 1558 uſi ſunt Evangelici, docente in eâ, quem iterum Memmingâ accerſiverant, Schalheimero. Accuſabat diffamabatque eos Abbas Gervicus inter alia ſpargens quod addicti non eſſent Auguſtanæ Confeſſioni ſed aliis ſectis adhærerent. His & aliis modis etiam poſt pacem religioſam Anno 1555. lege publicâ ſancitam civitati negotium exhibitum fuit, quamvis Senatus adverſus inſultus & minas adverſa-

riorum

riorum in Comitiis Imperialibus & circularibus magno ſtudio pro Evangelicæ religionis libertate & exercitio laboraret. Anno 1558. cum Schalheimerus alterâ vice Memmingam revocatus eſſet, Chriſtophori Ducis Wirtembergici favore Albertus ABELINUS, Vaihingenſium Paſtor, Leutkircham miſſus, cultum publicum ad formam ordinationis Wirtembergicæ inſtituit. Vocatus eſt in urbem David Breu/ Paſtor in Rotenacker; Hujus pietate & diligentia urbs tota Evangelicæ religionis profeſſionem ſuſcepit & Senatus Gervico Abbati, quæ acta erant, ſignificavit, petens, ut parochiale templum S. Martini civium uſui concederet; continuata tamen eſt oppoſitio, donec Anno 1561. Procerum Suevici Circuli autoritate tranſactio inter Abbatem & urbem ſequeretur, cujus inſtrumentum d. 27. April. extat, ſubſcriptum à delegatis circuli Suevici, Johanne Abbate Roggenburgenſi, Sigismundo ab Hornſtein, Ballivo, Provinciali Ordinis Teutonici in Sueviâ & Senatoribus Ulmenſibus & Biberacenſibus ad cauſam deputatis. Relictum eſt templum Parochiale Abbati, cum jure patronatus & reditibus; Abbas autem non ſolum ab omni turbatione exercitii religionis Evangelicæ in urbe ſeſe abſtinuit, ſed & præbendarum, quas vocant, quarundam reditus & quicquid ex parochiæ proventu poſt erogationes ſolitas ſupereſſet, urbi ad alendum miniſtros Eccleſiæ & Scholæ conceſſit; tranſactum quoque eſt de fructibus, durante lite perceptis, & aliis controverſiis ex cauſâ hâc ortis. Poſtea Anno 1613. Senatus novum Templum ex reditibus ſacris & collationibus civium extrui fecit & SS. Trinitati dedicavit.

vit. Quamvis verò Abbates occasione temporum post Annum 1624. novas contradictiones moverint, secuta tamen Anno 1648. pace Westphalicâ & postea Anno 1672. transactione à Commissariis Cæsareis Bibraci procurata, urbis libertas circa sacra, cum exercitio publico conservata fuit, quâ etiam adhuc potitur, & inter civitates Germaniæ Evangelicas locum habet.

Ad Jac. Beuerlini Vitam. P. I. p. 82. 87.

Epitaphium Viro erexit Academia Tubingensis publico nomine, quod tale est:

Clarissimo Viro Jacobo Beuerlino, Doctori Theologo Ecclesiæ hujus Præposito & inclytæ Universitatis Cancell. in Legat. Lutetiæ Parisiorum V. Calend. Novemb. An. M. D. LXI. ætatis verò suæ XLI. mortuo Senatus Academicus optimè merito F. F.

Quisquis in hanc oculos defigis & ora figuram
Sis memor hoc firmum quod sit in orbe nihil.
Sic cecidit quondam Martinus Frechtius arte
Maximus: hic ejus molliter ossa cubant.

Sic

Sic cadit heu! fatis æternum vivere dignus
Beuerlinus *nostræ nomen honorque Scholæ.*
E Patriâ in primis huc qui se contulit annis
Cui polis & nomen spina dedere solo.
Ingenioque potens: linguas industrius omnes
Atque artes hausit cum pietate sacras.
Donec ad officium templique Scholæque vocatus
Præfectusque simul summo in honore fuit.
Quid grave judicium & Sapientis fulmina linguæ
Virtutesque Viri donaque mille canam?
Non tantum populo fuit observatus ab omni
Wirtembergiaco sed quoque cura Duci.
Quo mandante adiit millena peric'la Tridentum
Ut veram assereret, quo decet ore, fidem.
Inde Borussiacæ sese convertit in oras
Componens litem, quæ fuit orta, gravem.
Tandem etiam fatis (dolor heu!) volventibus atris
Adscitus Galli sub regione cadit.
Vir magnus, magnâ celebrique sepultus in urbe
Parisiâ celsæ stant ubi tecta Scholæ.
Ne tamen omne Viri nomen sine honore periret
Struxerunt Patres hæc monumenta Scholæ.
Spiritus in cœlis carnis jam mole solutus
Virtutesque Dei justitiamque canit.

Conf. P. Freheri Theatrum Erudit. Viror. pag. m. 189.

Ad P. I. Memor. p.

De Jacobo Andreæ.

§. 15.

NOn est, opinor, inter omnes Patres, omnesque Augu-

Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, qui pluribus obtrectationibus etiam poſt fata impetitus, quàm *Jacobus Andreæ*, Athanaſio in omnibus ferè, ſolo exilio excepto, comparandus, quem adverſus tot mala verba G. Arnoldi, B. Carolus, ſolidiſſimus Andreæ Apologeta, uti Domino Zeibichio vocatur, fuſiſſimè defendit. Nolumus igitur actum agere, quamvis Arnoldi Locumtenens omnem calumniarum apparatum denuò in aciem produxerit in der Hiſtoriſchen Betrachtung wider H. Caroli Würtembergiſche Unſchuld. p. m. 453. ſeqq. Remittimus interim B. L. brevitatis ſtudio ad Chriſtophori Henrici Zeibichii, S. Theol. Licent. Paſt. ac Superintend. Baruthini Schediasma Hiſtorico-Theologicum de Theologis ad tempus commodatis. §. 24. p. 45. Lipſiæ edit. 1709. in 4. De cætero cogitet G. Arnoldus, num pro ſincera & à partium ſtudio liberâ relatione eſſet habiturus, ſi quis iis ex ſcriptis, quæ hactenus magno numero contra ipſum prodierunt, authorum judicia de ejus indole, actionibus, doctrinis & hiſtoriâ hæreticâ colligeret, cui alius adjiceret marginalia hiſce Verbis: G. Arnolds Sinn und Verhalten; Hefftigkeit/ Herrſchſucht/ Hochmuth und Wolluſt/ Ehrgeitz/ Leichtſinnigkeit/ Streit mit den Theologen/ tolle Narrheit/ ꝛc. Nonne ea teſtimonia utpote adverſariorum ſuorum pro infirmis eſſet declaraturus, neque admiſſurus excuſationem collectoris, quod alius quispiam rubricas marginales adjecerit. Atqui hoc modo ipſe cum J. Andreæ paſſim egit, & quicquid potuerat, ex Calvianorum, Hoſpiniani, Hornii, Leideckeri & nonnullorum

lorum æmulorum scriptis corrasit, ut J. Andream orbi prostitueret. Neque vel hilum valet hyperaspistis exceptio, Arnoldum ea, quæ in margine & indice extant, non scripsisse, sed ab aliâ manu esse adjecta. Nam si G. Arnoldus in ipso contextu talia non posuisset, utique nec in margine nec Indice potuerant adnotari. Sanè Arnoldus, qui apud nonnullos fidem hactenus possedit in aliquibus, postremâ hâc defensione ipsius auspiciis editâ omnem prorsus decoquit; Defensor verò scurram strenuè præstat, dum Jacobum vitiorum ab Arnoldo objectorum convincere satagit, & tamen in Indice virtutes ponit v.g. Jac. Andreæ, Demuth Sanfftmuth/ Dristigkeit/ Nüchternkeit/ Beständigkeit 2c. Quæso, Christiane Lector, an hæc charitati Christianæ congruunt? Num Spiritus Christi est, quem toties jactant, qui tàm veteratoriè Lectori illudit & servos Domini tàm amarulenter traducit? Utique Jacobus non à nostris tantum, sed & adversarum partium præcipuis Viris elogia tulit. Farellus & Beza in literis Anno 1557. datis eum appellârunt eximium Christi servum & Göppingensis Ecclesiæ Pastorem verè fidum. (a) Ipse Joh Calvinus eximium *pietate* & doctrinâ virum. (b) Henricus Pantaleon, multis virtutibus insignem, qui verbo & *exemplo* homines pellexerit ad Christum. (c) Quomodo Imperator Maximilianus II. Jacobum animaverit ad perficiendum opus concordiæ supra docuimus P. I. Eundem Cæsarem Jacobo poculum deauratum dono dedisse

(*a*) *Fam. Andrean. in Append.*
(*b*) *Ibid.*
(*c*) *De Viris Illustr. P. III. p. 530. seq.*

in vitâ suâ Manuscriptâ refert nepos J. V. Andreæ. Enim verò quid opus est encomia Jacobi coacervare? Aut quid tandem nocebit Evangelicæ doctrinæ vel Ecclesiæ, si non Jacobum duntaxat, sed & Theologos alios vitiis & infirmitatibus obnoxios fuisse concedamus. Homines fuerunt, neque humani quicquam à se alienum putârunt. Falsa quidem sunt omnia, quæ Arnoldus ejusque promachus in ipsum evomuere. Ista verò denuò refutare non est operæ pretium. Unum est, quod præterire non possumus. Insimulatur nempe ab Arnoldo Jacobus sublatæ in Saxoniâ disciplinæ Ecclesiasticæ Hist. Hæret T. II. p. 140. quam inculpationem B. Carolus manifestissimis argumentis iniquam esse demonstravit in der Würtembergis. Unschuld. p. 264. seqq. Nihilominus eam repetit Arnoldianus defensor l. cit. p. 508. cum tamen ad diversa argumenta B. Caroli nihil omninò reponere possit. Exceperat B. Carolus ad testimonium Timothei Kirchneri, qui abrogationem disciplinæ Ecclesiasticæ à D. Andreæ in Saxoniâ factam literis tradidit, (1) Kirchnerum eo tempore Heidelbergæ docuisse & quæ scripserit de Jacobo, saltim ex famâ retulisse. (2) Jacobum contrà disciplinam Ecclesiasticam graviter ursisse, in dem Hundertjährigen Bedencken an H. Christophen. (3) In terris Brunsuicensibus Anno 1568. eam instituisse; Imo (4) ipsam Electoris Augusti ordinationem Ecclesiasticam, (quæ Jacobo Andreæ tribuatur) istiusmodi disciplinam complecti. (5) Arcam Noæ, à nepote editam pro cynosurâ habuisse, in quâ de disciplinâ Ecclesiasticâ ejusque modo agatur. Unde concludendum sit: Andream non abrogâsse illam, sed

for-

fortâsse nonnullos Consiliarios è politicorum ordine. Quid ad hæc Arnoldianus ? Inhæret mordicus verbis Kirchneri, quæ tamen per hæc argumenta posteriora jamdum sunt enervata. Nam si Electoris Augusti Ordinatio modum aliquem publicæ pœnitentiæ præscribit ; (quod ex Joh Olearii Manuali p. 1742. comprobatum dedit Carolus,) Jacobus verò Andreæ ordinationis illius Author fuit, velut ipse Kirchnerus loco ab Arnoldo laudato testatur ? falsum utique redditur, quod Kirchnerus ibidem affirmabat, ex incerto rumore ; Abrogatam nempè à J. Andreæ disciplinam publicam in terris Saxonicis. Et quæso : Num æquum est, eum abrogationis ejusmodi incusare, qui per omnem vitam institutionem disciplinæ apud ipsos Principes ursit & in omnibus Ecclesiis, quas per Dei gratiam reformaverat, invexit ? An credibile est Virum Theologum, qui in omnibus aliis locis, præsertim in Ducatu Wirtembergico & Guelphico pro instituenda disciplinâ, adeò strenuè pugnavit, ut præcipuorum è politicis indignationem incurreret, in solâ Saxonicâ pietatis & Zeli usque adeò immemorem fuisse, ut ipse de illius abrogatione Consilium dederit ? Nil minus. Itaque si abrogata tum temporis fuit disciplina publica in terris Saxonicis, certè Jacobus non erat in culpâ, sed alii, quales in ipsâ patriâ est expertus, de quibus in Epistolâ ad Ducem Christophorum ita conqueritur, was ich in eigner Persohn / mein Schwager aber C.L. durch Schreiben die Kinder (Kirchen) Zucht und Censur betreffend / bey Euer Fürstl. (Gn.) Durchl abgelegt/ damit dieselbe nicht vermeyne / es wäre mehr auß leichtsinni-

ger Kühnheit / als Gottseeligkeit geschehen/ das bin ich auf ein neues entschlossen (en constantiam) an Euer Fürstl. Durchl. in einem Send-Schreiben zu übergeben und dieselbe deßwegen zubesprechen. Dann was Euer Fürstl. Durchl. uns gnädigst und guter Meynung zugelassen und gestattet / das haben Dero respective Räth im Nahmen Euer Fürstl. Durchl. retractirt / und uns aufs allerschärffste verbotten. Gleichwie wir uns aber nicht genugsam verwundern können ; Also haben wir uns auch hertzlich darüber bekümmert/ weil wir ja nichts wider GOttes Wort und Gebott dißfalls versuchet ; und so viel nun auß diesem / was bereits gehandelt / abzunemmen/ werden wir wenig von Widerbringung der gefallenen Zucht bey etlichen zu hoffen haben. p. 4. & p. 8. pergit: Ich weiß wohl / was Haß ich mir zugezogen / daß ich nur der Censur gedacht/ furnemlich bey denen Evangelischen/ qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt, aber darnach frag ich nicht / wann nur GOtt mein Hertzenkundiger ist / dem alle meine Geheimnussen deß Hertzens bekannt / der ja alle Erbarkeit liebet / wird meinen Fleiß / der sich auf das Wort GOttes gründet/ nicht für böß außrechnen / so vornehmlich dahin zielet / daß den Aergernüssen / nicht die man für Aergernussen aufnimmt und außrufft / sondern die schädlich gegeben werden/ der Pass verleget werde. Ibidem innuit se propter solam censuræ Ecclesiasticæ mentionem ferè arrogantiæ & ἀλλοτριοεπισκοπίας

incu-

incuſatum fuiſſe. Præterea ad manus noſtras pervenit Ordinationis Saxonicæ à Cameralibus facta cenſura, in quâ nihil omninò de defectu diſciplinæ memorant, ſed tantum terminos & phraſes cum connexionibus paſſim emendatas cupiunt. Iis defenſionem oppoſuit, ubi inter alia Electori conqueritur, daß ſie etlichmal mit ihme aufſtöſſig worden/ under er ſie erinnert und gebetten habe/ ſie ſolten nicht alſo mit ihme zancken und haddern/ ſondern da ſie einer andern Meynung ſeyen/ dann erſt ſollen ſie ihre Meynung beſonders ſchreiben. Fatetur etiam ſe ad Wirtembergicæ ordinationis formam eam concepiſſe. At in hâc de pœnitentiâ publicâ conſtitutio pulcherrima reperitur. Judicet jam ex his æquanimus Lector: Num tantæ levitatis fuerit Jacobus, ut quæ antea tàm pio atque entheo Zelo inſtituta volebat, ipſe, ſi penes eum ſtetiſſet, deinceps abrogaverit? Vana itaque ſunt, quæ ex Tim. Kirchnero Arnoldus adducit; nec enim præmeditatò, ſed raptim, ſcripſerat Kirchnerus & ex famâ, uti in literis illis ap. Fechtium p. 638. legitur; Meminiſſe debebat Arnoldus eorum, quæ laudatus Theologus, Dominus D. Fechtius cap. 6. Apparat. H. E. p. 231. in pari caſu de Jacobo & Bidembachio prudentiſſimè obſervavit his verbis: Quanquam, ait hâc ipsâ epiſtolâ non optimè Bidenbachius (addo Kirchnerus,) de actitatis Jacobi ſentiat, ex eo tamen rei ipſius veritati & bonitati nihil decedit. Aberat tum procul Jacobus & fama, ut fieri ſolet, *ſiniſterius de iis*, quæ in Saxoniâ egerat, referebat. Quam cum redux diluiſſet ipſoque eventu feliciori, quam augurabatur Bidembachius (Kirchnerus) vani ru-

musculi fuerunt dissipati, nemo Wirtembergicorum erat, qui institutum Jacobi amplius reprehenderet. Homines sumus; (qualis & Kirchnerus;) sæpè de aliorum conatibus (factis) iniquius, quam par est judicamus. Aliquando *gloriam* aliis invidemus. Nonnunquam rerum actarum ignari, obtrectatorum calumniis pro tempore satisfacere aliter nescimus, nisi, ut culpam in eos refundamus, qui, ut vel verè, vel ex sinistro affectu persuasi sumus, negotium non usque quaque rectè administrârunt. Hactenus D. Fechtius. Sed hæc pro Jacobo Andreæ contra nuperas exceptiones sufficiant. Scripta ejus supra P. I. recensuimus ex Famâ Andreanâ, ubi Catalogus parum equidem est accuratus, cumque manuscripta fuerint omissa hîc supplenda duximus.

De formulâ Concordiæ.

§. 16.

An. 1575. 1580. SUdes est in adversariorum oculis formula Concordiæ, utpote sepimentum, quo membra Confessionis Augustanæ in externâ professionis fidei unitate conjuncta & à manifesto luporum incursu præmunita fuere. Opus multorum annorum, in quo plus quam viginti annorum labor est insumtus, donec in lucem prodiret exoptata dudum Concordia. Urserat eam viribus omnibus Princeps Christophorus (a) à Maximiliano II. Imperatore sæpenumero commonitus. Sed reservaverat divina providentia usque ad

(a) *Fam. Andrean. p. 168.*

ad tempora filii ejus Ludovici Pii, cujus hæc fuit occasio, quam Lucæ Osiandri, Senioris, & Concionatoris Aulici, qui totius rei omniumque actorum conscius fuit, verbis ex Cent. XVI. Libr. IV. c. 3. p. 865. recensere placet. Contigit nempe, divinæ bonitatis providentiâ admirabili, ut Elector Saxo, *Augustus*, & Georgius Ernestus, Comes Hennebergensis, provectæ ætatis Princeps unà cum Electore Saxonico in curru veheretur. Augustus enim hunc Comitem ut virum prudentem & veræ religionis amantem amabat & suspiciebat. Cum igitur inter hos Principes familiaris collatio de sedandis & tollendis controversiis inter Augustanæ Confessionis Theologos incidisset, & de remedio salutari inter hos duos Christi discipulos unâ peregrinantes & amicè colloquentes disputaretur; Comes (qui & Princeps appellabatur) pro sua pia parrhesiâ, Electori placidè dixit: Witebergenses Theologos eorumque socios fovere errores quosdam, qui à sinceris Ecclesiæ Ministris dissimulari & approbari non possint. Itaque nullam sperari posse piam, veram & firmam pacem inter Theologos Augustanæ Confessionis, nisi errores admissi notarentur & damnarentur. Habebat enim ille Hennebergicus in suâ ditione Theologos & Ministros Ecclesiæ sinceros & omnibus doctrinæ corruptelis acerrimos adversarios. Ibi Elector: Ergò notentur, inquit, & rejiciantur atque damnentur, si quæ irrepserunt, corruptelæ. Et simul Comitem illum hortatur, ut initium aliquod ejus pii & apprimè necessarii operis faciat, promittens simul: se summis viribus id in-

» ceptum promoturum : Facturum se id studiosè
» Comes Electori pollicetur, atque ita lætus ab *Ele-*
» *ctore* Augusto discedit, quod jam videret, *Electo-*
» rem à repurgatione doctrinæ & studio veritatis
» minimè esse alienum. Intra paucos menses d. 7.
» Nov. Anno 1575. (Osiander habet Anno 1576.
» sed fallebatur memoriâ quam ipse excusat senio
» suo.) conf. Ephemerides Wirtemberg. p. 87. nu-
» ptiæ celebratæ sunt Stuttgardiæ Ludovici, Ducis
» Wirtembergici, qui Caroli Marchionis filiam
» Dorotheam Ursulam in uxorem duxerat. Ad
» has nuptias invitatus Comes Hennebergicus, prom-
» tè comparuit, qui filiam Ducis Christophori, san-
» ctæ memoriæ, Elisabetham in matrimonio habe-
» bat. Intererat etiam his nuptiis Carolus, Mar-
» chio Badensis, Ducis Wirtembergici Ludovici
» socer. Ibi Comes Hennebergicus, cum ple-
» rique Principes finitis nuptiis jam discessissent, in
» præsentiâ Ducis Wirtembergici, Marchionis Ba-
» densis, Caroli, & duorum Theologorum Wir-
» tembergicorum & aulici Concionatoris Badensis
» atque Concionatoris Aulici Comitis Hennebergii,
» omnibus aliis Principum Ministris semotis reci-
» tat, quid cum Augusto Electore de sedandis con-
» troversiis inter Aug. Conf. Theologos egerit,
» quid Augusto placuerit & quid per Comitem fieri
» petierit. Sententiis inter Principes & præsentes
» Theologos collatis decernitur à Principibus, (quo-
» rum nomine etiam Comes intelligitur,) ut nego-
» cium Wirtembergensibus duobus Theologis M.
» Balthasaro Bidembachio & D. Lucæ Osiandro
» detur, ut scriptum de controversiis sæpè jam no-

» mi-

minatis componant, in quo veritas cœlestis do- »
ctrinæ perspicuè proponatur, & idoneis testimo- »
niis confirmetur & errores notentur atque reji- »
ciantur. Adornatur igitur tale scriptum per Theo- »
logos Wirtembergicos prædictos, in quo status »
cujusque controversiæ perspicuè ponebatur. Et »
affirmativa quidem propositio vera, sacris literis, »
testimoniis ex August. Conf. & apologia ejusdem »
item utroque B. Lutheri Catechismo atque ex Smalcaldicis articulis petitis confirmabatur, falsa verò doctrina rejiciebatur atque condemnabatur. Hæc omnia tàm secreto atque summo silentio acta atque tractata fuerunt, ut præter dictos jam Principes & Theologos nullus præterea ac ne secretissimus quisque Consiliarius rerum harum conscius esset. (Erant igitur tùm memorati quatuor Theologi Principum suorum intimi Consiliarii, quemadmodum Brentius Ducis Christophori.) Hoc scripto absoluto, Principum prædictorum jussu Maulbronnæ in reformato Monasterio Wirtembergico convenerunt: Theologi duo Wirtembergenses: duo Hennenbergenses: & unus à Marchione Badensi missus, fortè (Rupertus Dürrius;) Hi scriptum diligenter perlegerunt, expenderunt & quibus in locis necessarium videbatur, emendârunt. Factum est hoc Anno 1576.

Apparet ex his primum F. Concordiæ motorem fuisse Principem Hennebergicum, non verò Jacobum Andreæ. Deinde nec Wirtembergicos tantum Theologos primum ejus lapidem posuisse, verum etiam Hennebergico-Saxonicos, & Badeno-Marchicos. Adeoque injuria est, quando Arnol-

dus(b) ait: Damit es aber nach der Würtembergischen Wunsch gienge / muste der Chur-Fürst auf Einrathen ein Bedencken von D. Andreæ einhohlen lassen / welcher dann stracks die obige Maulbrunnische / neben einer andern Form. Concordiæ zwischen den Nider-Sächsischen und Schwäbischen Kirchen vorschlug. &c. Quo ipso Arnoldus Wirtenbergicos incusat, quasi tricis & machinationibus usi essent, ut voti sui de Crypto-Calvinianorum ejectione (uti quidem hyperaspistes Arnoldi id explicat, tametsi plus insinuent verba ejus citata,) redderentur compotes. Consideret Lector Christianus quod non soli Wirtembergici, verum etiam Hennebergici Theologi, aliique acerrimi corruptelarum à Crypto-Calvinianis datarum adversarii fuerint. Expendat, quod non soli Wirtembergici, sed & Hennebergici & Badeno-Marchici Consilio Principum interfuerint & scriptum Maulbronnense reviderint. Cogitet, quod nequaquam Wirtembergici, sed Hennebergicus Princeps & augustissimus Elector Saxoniæ tali formulæ ansam dederint. Planum igitur est G. Arnoldum id egisse, quod etiamnum agere non cessat, ut invidiam Wirtembergicis crearet apud Saxones, quasi Wirtembergici Theologi prærogativam aliquam in opere Concordiæ sibi arrogarent. Multa fecisse nostrates eo in negotio, præsertim Jac. Andreæ & L. Osiandrum in propatulo est. Plura tamen & multò majora nos B. Luthero Saxoni debere grati agnoscimus. Neque Wirtembergicus Theologus J. Andreæ se Form. Conc. solum Authorem

(b) *Hist. Haret. Tom. I. P. II. p. m. 214.*

thorem unquam profeſſus eſt. Unde non tàm ex Wirtembergenſium, quam omnium ſincerorum Theologorum votis geſta eſſe omnia, eventus docuit. Exurgat è mediâ Saxoniâ, qui innocentiam noſtratium ex Archivis Electoralibus publicè demonſtret. Quamvis enim à noſtratibus omnia in lucem produci poſſent Acta multis Tomis conſtantia, ſine dubio tamen φιλοδοξίας ab adverſariis inſimularentur.

Interea ſcriptum Maulbronnenſe per Hennenbergicum Electori Auguſto fuerat traditum, ut ipſe de rebus iſtis judicium ferret, qui jam d. 15. Febr. Anno 1576. conventum Lichtenburgi inſtituerat duodecim Theologis conſtantem, qui, ut declaratio à Theologis minimè ſuſpectis Chytræo, Chemnitio, Marbachio & Jac. Andreæ conciperetur ſubditis proponenda, conſilium dederunt; quod ipſum Arnoldus ex Huttero teſtatur. (b) Quomodo ergò ſecundum vota Wirtembergicorum ſuccedere potuit res, de quâ jam deliberatum fuerat, antequam illi reſcirent. Utique Jac. Andreæ demum menſe Martio ab Electore Saxoniæ Auguſto, literis ad Ludovicum Wirtembergiæ Ducem datis expetitus & d. 24. ejusdem menſis iter ingreſſus Torgam Aprilis 9. pervenit. Ibi à ſex Theologis M. Chemnitio, Jac. Andreæ, Andrea Muſculo, Chriſtophoro Cornero, Davide Chytræo & Nicolao Selneccero liber concordiæ eſt conſcriptus & poſtea Bergæ recognitus. Unde liber Bergenſis vocatur. Inſequente anno 1577. ſubſcripſerunt paſſim Eccleſiæ, imprimis Suevicæ,

(b) *Loc. cit. p. 215.*

Suevicæ, quorum ſubſcriptionem Jac. Andreæ Anno 1578. Electori (c) Lipſiæ tradidit.

Tandem anno 1580. prodiit liber multorum maximo deſiderio expectatus, à tribus Electoribus Imperii, Principibus 21. Comitibus 22. Baronibus 4. Civitatibus Imperialibus 35. Miniſtris Eccleſiæ & Ludimagiſtris ſubſcriptus & approbatus; impreſſus Dresdæ & Tubingæ. Quamprimum publicatio in Saxoniâ facta erat, Elector literis id ſignificavit Duci Wirtembergiæ, Ludovico, quod per Conſiliarium Intimum Melchiorem Jægerum, Lucæ Oſiandro, in acidulis Teinacenſibus verſanti, ſummâ cum lætitiâ perſcriptum fuit, hiſce inter alia verbis: Als mein gnädigſter Fürſt und Herr/ und ich Nachdenckens haben / was wir Euch in das Bad (darzu ich dann beede / Euch und dem Herrn Probſt allen Seegen und gutes Gedeyen wünſche) verehren wolten. So ſchickt uns unſer lieber HErr und GOtt eben ein Preſent auß Sachſen / welches ohne Zweiffel Euch und allen Guthertzigen zuvernehmen eine ſondere groſſe Freude ſeyn wird. Demnach habet Ihr hierbey deß Chur-Fürſten zu Sachſen 2c. Schreiben zuempfahen / und darauß ſo viel zu verſtehen / daß (GOtt Lob in Ewigkeit/) das opus Concordiæ einmal richtig und publicirt iſt. Der Allmächtige verleyhe / daß ſolches zu ſeines Nahmens Ehre / dahin es gemeynt/ Fortpflantzung der reinen Lehre und Außbreitung der Chriſtl. Kirchen / auch Erhaltung guter beſtändiger Einigkeit gereichen möge.

Und

(c) *Fam. Andr. in App. peregrin.*

Und nachdem Seine Chur-Fürstl. Gnaden sich anerbieten hochgedachten M. gnädigsten Fürsten und Herrn etliche Exemplaria mitzutheilen; So ist Ihro Fürstl. Gnaden gnädige Meynung/daß ihr dem Herrn D. Jacoben alsbald geschrieben / daß Er bey dem Truck Ihro Fürstl. Gnaden allein ein Exemplar 30. oder 40. bekomme / und mit ehister Gelegenheit herauß geschafft hätte / weil man derselben hernach genugsam hieraussen selber haben würde/ und Ihro Fürstl. Gnaden diese Sächsische/als die Originalia aufbehalten wollen. Exemplaria quippe Tubingensia, utut Tubingæ jamdum impressa essent, non tamen nisi cum consensu Electoris Augusti distracta fuére & divendita. Landgravio verò Hassiæ, qui omni nisu Ludovicum. (d) Ducem formulâ Concordiæ revocare laborabat, antequam à ederetur, responsum eodem tempore literis datum est, prout idem Melchior Jægerus eàdem epistolâ testatur: Land-Graf Wilhelms Schreiben ist auch schon gefertiget / und wie S. F. G. (wie zuversichtlich) darüber nicht süß sehen. Also werden Sie (wie zubesorgen/) noch übeler zu frieden seyn / daß diß Buch / so S. F. G. vermeynt / daß es wiederum unter die Banck gesteckt / wie sie darüber zu Ende ihres Schreibens gleich triumphiren/ 2c. mit aufgerichtetem Haupt herfür kommt / und sich sehen und lesen läßt. Trage die Fürsorg wann ich S. F. G. solche Zeitung zuschriebe / ich würde ein schlechtes Danck-Brifflein bekommen: Dispalescit hinc quod

(d) Conf. Ephemerid. VVirtemb. p. 88.

quod Wilhelmus Hassiæ Landgravius non ex aliâ causâ Jacobo Andreæ, quam propter opus concordiæ, ſuccenſuerit, cujus iram etiam alii inſontes, & quidem Politici, ſe incurſuros eſſe ſciebant, ſi publicationem hujus operis illi notam feciſſent. Sed nec Auguſtum Electorem inſtituti hactenus pœnituiſſe palàm eſt. Quod verò poſtea demum pœnitentiâ rei ductus fuerit, ſive Schneiderus, ſive Arnoldus affirmet, eò minûs credendum, quo certius eſt tantæ levitatis & inconſtantiæ notam in Heroëm Chriſtianum, præſertim in rebus fidei, neutiquam cadere. Liberent ipſi Domini Saxones auguſtiſſimi Electoris fidem ab Arnoldi aliorumque φλυαρίαις. Equidem Electorem malè informatum ab inimicis Andreæ nonnihil infenſiorem aliquando redditum eſſe cum Huttero haud negamus. Ipſum verò nubeculas illas bonæ cauſæ fiduciâ diſpuliſſe certum eſt. Etenim Jena à Reformatione illius Academiæ reverſus, nulla ratione criminationem ſuorum adverſariorum habitâ ad horam conſtitutam in conſpectum Electoris Saxoniæ, præſentibus, quos ſecum Secretioris Conſilii cum Secretario habebat, tribus Viris, acceſſit: Ejusq; Celſitudini nomine totius Eccleſiæ Chriſti pro Concordiæ negotio ipſius pietate, ſolicitudine & ſumtibus maximis confecto, ſibique ac ſuis præſtitis beneficiis debitas gratias egit. Qui viciſſim clementiſſimam voluntatem ſuam non modò verbis per alterum ex Conſiliariis aſtantibus, verùm etiam munere honorifico, quod in ſcripto adverſus Sturmium in honorem Electoris commendavit ipſe, declaravit, eumque præter expectationem omnium hoſtium, quos maximos in urbe habebat & rumo-

res per universum regnum sparsos clementissimè dimisit. vid. Fam. Andrean. p. 213. 214.

Rumoribus autem illis longè lateque divulgabatur: Electorem Saxoniæ cum conjuge Jacobo vehementer indignari, eumque non modò cum summâ indignatione (Arnoldi hyperaspistes sycophanticè vertit mit höchster Schande. vid. Historische Betracht. p m. 528.) dimissum iri, sed totum negotium quoque Concordiæ in fumum abiturum. Fam. Andr. p. 211. Ideoque tàm protervus est modò dictus Arnoldi patronus, ut non pudeat illum subjungere: Wider solche Nachreden hätte ja D. Andreæ billich ein testimonium contrarium vom Chur-Fürsten sollen mitnehmen/ (zumal es auch die Sache der Formulæ Concordiæ mit betraff/) wann er in Gnaden von ihm kommen wäre. Daß es aber nicht geschehen / und keine dergleichen Documenta zu finden / ist sehr bedencklich. Amabo, B. L. ubi est frons hominis? Elector Jacobum non tantum clementissimè dimisit, sed & munere chartaceo Bibliorum Antwerpiensium, in quo eum doctrinæ cœlestis instauratorem integerrima de Ecclesiâ Christi optimè meritum salutavit, verùm novo curru tribus equis juncto & cratere deaurato 200. thaleris repleto donavit; & quod caput rei est, literis testimonialibus perquàm honorificis ad Ludovicum Ducem comitatus est, in quibus disertè pro ejus commodatione gratias agit inter alia sic scribens: Wann es aber nunmehr GOtt Lob! sein gewünscht Ende erreicht / und E. L. an uns mehrmalen freundlich begehrt / da wir gemeldten Jacobum Andreæ hierzu weiter nicht bedärffen würden/

würden/ daß wir ihme wiederum erlauben wolten / so haben wir ihne mit E. L. Ungelegenheit nicht länger aufhalten wollen/ sondern sich widerum zu deroselben zubegeben / mit Gnaden erlaubet/ 2c. vide integras literas d. 2. Decemb. Dresdæ Anno 1581. ſcriptas apud Fechtium loc. cit. pag. 98. ſeqq. it. Hutter. Concord. Conc. cap. 48. pag. 1222. ſeq. Annon hæc ſunt teſtimonia omni exceptione majora & realia, quod non cum indignatione, multò minus cum ſummâ, minimè verò cum ignominiâ dimiſſus fuerit? Et tamen probationem deſiderare non veretur adverſarius. De cætero, quia ex revocatione Jacobi per literas unâ & alterâ vice factas etiam ſui Principis indignationem ſubiiſſe, calumniantur, Benevolo Lectori literas ipſius Ducis Ludovici ad Jacobum communicamus inferius, ut exinde colligat: Utrum ejus revocatio cum indignatione facta ſit?

» Denique notandum de Formulâ Concor-
» diæ, quod cum liber ex ſcripto partim ab Inferio-
» ris Saxoniæ, partim ſuperioris Germaniæ Theo-
» logis præeunte diligentiſſimâ & accuratiſſimâ ali-
» quot annorum deliberatione adornato conflatus
» eſſet, Electori Saxoniæ oblatus, à Celſitudine
» ipſius ſic monentibus & humiliter rogantibus
» congregatis Theologis ad omnes Principes, qui
» Aug. Conf. profitebantur, & primarias Eccleſias
» transmiſſus fuerit ac petitum, ut ſuis Theologis
» eundem ſeveriter judicandum proponerent, & ju-
» dicium ſuum ad ipſius Celſitudinem perſcriberent.
» Neque enim *paucos* numero *Theologos* aliis *omni-*
» *bus præſcribere*, ſed *viam tantum* monſtrare vo-
» luiſſe,

luisse, quâ per Dei gratiam pia pax & Concor- »
dia in Ecclesiis nostris restitui possit. vid. Fam. Andrean. p. 177. Hæc certè ratio ineundæ concordiæ omnium erat expeditissima & multò melior, quam si Synodus aliqua Universalis fuisset convocata. Omnes enim Principum Theologorumque conventus propter religionem antea institutos, omniaque colloquia parum ad rem contulisse experientiâ constabat. Sæpenumero præsentia personarum animorum creat σύῤῥαξιν, variaque æmulationis, contemtus, φιλονικείας, contentionis & certaminis de primatu sese ostendunt impedimenta, per quæ ad concordiam nullatenus perveniri potest. Sed nec libera sunt in ejusmodi Conciliis ac Synodis vota, cum plerumque diversæ factiones sese exerant, à quibus dissentire absque periculo vix est integrum. Hoc autem modo cuivis Theologo, in eminentiori Ecclesiæ statione constituto librum Concordiæ sub examen pium & verbo Dei consentaneum vocare, de illo censuram liberrimè ferre, dissensum vel consensum suum in omnibus articulis aperire, rationibus è S. Scripturâ & foro conscientiæ petitis comprobare, adeoque vel ad emendationem vel confirmationem doctrinæ libro contentæ symbolum suum conferre licebat. Judicia ergò Principum & Theologorum cum magno numero ad Electorem Saxoniæ transmissæ essent, sapientissimus Princeps paucis Theologis, qui Bergæ in celebri Monasterio pro- »
pe Magdeburgum convenerant, hoc negotii dedit, »
ut diligenter eam legerent, in timore Dei expen- »
derent, & quæ utiliter ad illustrandam & confir- »

» mandam veritatem facerent, singulis suis locis
» convenienter insererent, & scripta omni ex parte,
» quantum fieri possit, verbo Domini sincero &
» incorrupto contra calumnias probè & rectè mu-
» nirent.

» Id cum accuratè & diligenter factum esset,
» Elector Saxoniæ cum consensu & voluntate Ele-
» ctoris Brandeburgensis Theologos extraneos
» omnes secundò in supra commemoratum Mona-
» sterium Bergense convenire procuravit, quotquot
» ab initio deliberationi Torgæ institutæ interfue-
» runt. Ubi denuò ex mandato & jussu utriusque
» Electoris omnium Principum & Theologorum
» judicia & sententiæ de Libro Concordiæ transmissa
» leguntur & quibus in locis illorũ notationes & ad-
» monitiones utiles & necessariæ sæpè cōmemorato
» libro & quâ fide insertæ essent, demonstratur. Et
» cum de nimiâ prolixitate libri non paucæ Ecclesiæ
» monerent, de quibus nulla controversia erat, quoniã
» ex aliis scriptis petere liceret, omissa & prorsus de-
» leta sunt. (Admonitiones igitur aliorum & cen-
» suræ cordatæ non sunt susque deque habitæ.) Li-
» bro ad hunc modum ex sententiâ doctissimorum
» Virorum, quorum judicia transmissa erant, con-
» fecto, non solum ad principes & Civitates præ-
» cipuas, sed omnes quoque reliquos Imperii Or-
» dines, qui Augustanam Confessionem profiten-
» tur, *nullo prætermisso*, transmittitur, ut non mo-
» do à primariis Theologis, ex quorum sententiâ
» compositus erat, sed *omnibus* & *singulis* Ecclesia-
» rum & Scholarum Ministris legatur, expenda-
» tur, & pondere non numero, verbo & re judi-

» cetur.

cetur. *Neminem* enim ad ſubſcriptionem *cogi* »
aut *perſuaderi*, ſed liberrimum omnibus & ſin- »
gulis judicium relinqui, cujus *unica Norma* & *Regu-* »
la ſint ſcripta Prophetica & Apoſtolica, quibus liber transmiſſus ſubjiciatur. Ib. p. 178. 179. Patet ex his, quantum valeant verſiculi Simonis Stenii, qui inter alia cecinit:

--- --- Gentes damnare tot audent
Vix ſex aut ſeptem Miſnica mancipia. (a)

Nec enim à ſolis illis ſex Theologis formula Concordiæ erat confecta, ſed à quamplurimis. Conſtat inſuper manifeſtam calumniam & impudentiſſimum mendacium eſſe, quod è Calvinianorum ſcriptis Arnoldus repetiit: Eccleſiarum Scholarumque Miniſtros cum comminatione exilii ad ſubſcriptionem coactos, nec juſtum tempus deliberandi cuiquam conceſſum. Nam in Saxoniâ Miniſtri Ec- »
cleſiarum & Scholarum in locum publicum, tem- »
plum aut curiam, ad quem omnibus civibus & ex- »
traneis aditus quoque patebat, convocati ſunt ad »
conſtitutum diem; ubi liber altâ voce & diſtinctè, »
publicè eſt recitatus. Poſtea acceſſerunt, qui ab »
Electore ad recipiendas ſubſcriptiones miſſi erant »
Theologi, qui linguâ vernaculâ coram omnibus »
non modò Eccleſiarum & Scholarum Miniſtris, »
ſed etiam civibus & reliquis ex promiſcuâ hominum multitudine congregatis copiosè exponebant, quo conſilio hoc Concordiæ negotium ſuſceptum eſſet. Et ſeveriter omnes & ſingulos hortati ſunt, nec quisquam exemplo infelicis D. Joh. Stöſſelii ejusque tri-

(a) Arnolds K. Hiſt. *T. II. Cap. 16. p. 222.*

ſtiſſimo deſperationis caſu admonitus, dubiâ, hæſitante, multò minus contradicente conſcientiâ ſubſcriberet. Quàpropter Electorem Saxoniæ in mandatis dediſſe, *ne quisquam* ex Miniſtris Eccleſiarum & Scholarum privatim audiretur, ſed publicè coram omnibus congregatis Miniſtris ſuam quisque per ſe ſententiam exponat. Si quid in propoſitis articulis deſideret, intrepidè indicet, paratos eſſe Electoris Legatos, ut ad ſingula reſpondeant, & errantes ex verbo Dei doceant. Nec opus eſſe *ſtatim ſubſcribere*, quin auditâ declaratione ad quæſita & confirmatione veritatis, ſi cuiquam ſatisfactum non eſſet, ſecum ipſe unum vel alterum *menſem* diligenter de negotio cogitet. Verum hoc omnibus dictum ſit, privatim neminem auditum, aut NB. *perſuaſionibus* cum quoquam actum iri, ſed publicam à ſingulis, qui in Eccleſiâ & Schola publicè doceant, & ingenuam Confeſſionem requiri, quid de controverſis articulis ſentiant, quibus ipſorum auditores multis clamoribus aliquot nunc annis perturbati fuerint. Quâ ratione etiam firmus conſenſus in doctrinâ religionis conſtitui & animorum contentio pia & Deo grata, non per *ſyncretismum*, ſed ingenuam & apertam veritatis explicationem inſtaurari & conſervari poſſit. Imò usque adeò neminem ſine præeunte deliberatione accurata & diligenti ad ſubſcriptionem adigi ac ne quidem perſuaſione allici voluit Elector, quin potius, cum animadverterent ablegati Theologi, qui nomine Electoris aderant, quosdam ex convocatis Miniſtris leviter tantùm in aliquo articulo hærere, declaratione factâ perſpicuâ & verâ, eosdem ſeveriter & humaniter à ſubſcriptione ſunt dehortati, donec explica-

plicatione veritatis ipſorum mens tutò acquieſceret. Non minore cum pietate & moderatione, hoc ſanctum negotium à reliquis Imperii Ordinibus ipſorumque Theologis tractatum eſt. Cum præſertim ad *certum tempus* nemo adſtringeretur, ſed quidam ex illis per *integrum anni ſpatium* & amplius de eo cogitantes & diligentiſſimè omnes ejus partes examinantes, ſalvâ & illæſâ tandem conſcientiâ veritati, quæ in libro Conc. continetur, teſtimonium perhibuerunt, & corde, ore, manu ad perpetuam & poſteritatis memoriam ſubſcripſerunt. Hæc ita geſta eſſe totius Misniæ & Thuringiæ incolas teſtari poſſe affirmavit J. Andreæ l. c. p. 182. Et latè rem totam perſequitur Leonh. Hutterus in Concordia Concorde, quam ſi quis cum Arnoldi relatis de Formulâ Concordiæ contulerit, deprehendet, hæc nihil omninò præter recocta Calvinianorum, Peuceri præſertim & Hoſpiniani, mendacia eſſe. Quod de fructibus F. C. diſſerit Arnoldus, quaſi infelices fuerint, inter quos abrogationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ ab Andreâ, (ut ille ex Kirchnero malè quidem perhibet,) factam connumerat, (quam calumniam ſupra diluimus,) certum eſt, etiam illos ab adverſariis peſſimè traduci. Quamquam enim fuerint, qui nollent illam Formulam recipere, diſſenſus tamen ille poſtea partim eſt ſublatus, tametſi partim ad noſtra usque tempora ſit conſervatus. conf. Rechenberg. Summar. Hiſt. Eccleſ. p. m. 613.

Certè in Holſatiâ Dano-Regiâ Anno 1647. F. Conc. eam, quam per ſeptuaginta annos impetrare non poterat, per divinam gratiam conſecuta eſt authoritatem, ut in poſterum nemo Candidatorum

Ministerii nisi F. C. in omnibus subscripserit ad publicum officium in regiis Ecclesiis admitti debeat; quâ in re præclarissimè meritus est Stephanus Klozius, Provinciæ Superattendens Generalis. vid. Caroli Memor. H E. T. I. p. 1121. Millies majores itaque lites ex eâ enatas, quam antea in Ecclesiis fuerint, incassum probare conatur Arnoldus. (a) Ponamus enim, Chemnitio & Andreæ intercessisse aliquam animorum distinctionem, non tamen id factum est, post publicationem Libri Conc. sed diu ante illam. Fateamur cum Dressero, nondum omnes sopitas fuisse controversias eâ in lucem editâ. Dicat Chytræus formulam Concordiæ, tametsi unanimi suffragio & subscriptione Theologorum comprabatam, seminarium discordiæ apud ipsos fuisse Rostochii. Attamen per accidens & ex contumaciâ Pastorum, M. Gelneri & Matthæi, qui subscribere declarationi controversiæ de peccato originali & pro concione tacere de illâ lite toties rogati recusabant, id factum, & discordiam illorum dimissione sedatam fuisse disertè testatur. (b) Scripserint alii quoque eam pacificationem turbas adauxisse; non tamen insigni fructu caruisse opus, manifesto Dei digito contra tot clandestinas machinationes & apertas contraventiones in lucem protractum, res ipsa clamat. Nam ante formulæ hujus editionem bellum intestinum tàm aere, dubium, multivarium & tàm diuturnum in Ecclesiis Aug. Conf. grassabatur, tantâque animorum acerbitate pugnatum est, ut de piâ pace & concordiâ restituendâ plerique etiam pii & sapientes despera-

(a) *Hist. Haret. §. 30.*
(b) *Fecht. Ep. p. 547.*

ſperarent. Quæ res animum Pontificiis addidit, ut ad ravim usque gloriarentur, non duos inter omnes Aug. Conf. Doctores reperiri, qui in omnibus partibus ejusdem doctrinæ conſentirent. Ideoque mutuis vulneribus confectos iri ſpem minimè dubiam, ſed eam vaniſſimam, fovebant. Fam. Andr. p. 167. Nunc enim non duos, ſed octo millia Doctorum & Miniſtrorum in unitatem fidei & profeſſionis externæ coaluiſſe cum rubore & indignatione cernebant. Et ſanè in miraculi confinio eſt, quod inde à tempore publicatæ Conc. usque ad annum 1700. adeoque ultra Seculum non plures, quam ad ſummum decem Miniſtri in Eccleſiâ Wirtembergicâ fuerint, iique omnes minoris commatis, qui à doctrinâ in libris Symbolicis contentâ ſeceſſum fecerunt; neque minor concordia, in universâ Sueviâ, nedum Saxoniâ ſtabilita & conſervata fuit

Quod verò Reformati Doctores hunc librum ab initio multis ſcriptis impugnârunt, quorum Catalogum texuit Andreas Wengerscius Hiſt. Eccl. Slavonicâ libr. 3. p. 361. ſeqq. mirum non eſt, cum eo è latibulis ſuis paſſim protracti & ab oppreſſione doctrinæ Lutheri, quam omni ſtudio egerant, depulſi fuerint, tametſi paulò poſt nempe Anno 1583. Henricus Rex Navarræ Jacobum Segurium ablegaverit, ut ſanciendæ concordiæ causâ inter Evangelicos & Reformatos Synodus Proteſtantium generalis inſtitueretur; quo Pontificiis exitium proteſtantibus minitantibus reſiſti poſſet. Editæ ſunt Epiſtolæ Henrici R. Nav. ad Auguſtum Imp. Rom. ac Reges & Reſpubl. Europ. de pace Eccleſiaſticâ & controverſiis ſopiendis Ultrajecti Anno 1679. vid. Rechenb.

Sum. H. E. p. 618. Iis in literis præſertim, quas ad Ludovicum Wirtemb. Ducem ſcripſit, Eccleſiis noſtris concordiam oppidò eſt gratulatus, quod ipſum & Angliæ Regina, Elizabetha, fecit, deſiderans, quia in uno tantum articulo de S. Cœnâ diſſenſus adhuceſſet, ne Princeps Wirtembergicus illam amplius ab irrequietis hominibus agitari ſinat, ne per hanc in unâ re diſcrepantiam Eccleſiarum reformatarum tranquillitas & concordia diſſipetur. Sed nec id mirum erat, aut multum damni F. Conc. afferebat, quod Flacciani eam refellere tentabant. Nam Electores qui Conſcriptionem F. Conc. procurârant, miſſis ad Conventum Theologis Apologiam conſcribi juſſerunt, quà Liber Concordiæ defendebatur. Magis verò dolendum erat, quod Tilemannus Heshuſius, & Daniel Hoffmannus ab eâ, quam ſubſcripſerant, defecerunt & Anno 1583. oppugnârunt, quod in illâ omnipræſentia carnis Chriſti (quam tamen ipſe T. Heshuſius antea defenderat) aſſereretur. Quare Quedlinburgi inter D. Kirchnerum, Selneccerum & Polycarpum Lyſerum, ac inter dictos Helmſtadienſes de hâc quæſtione colloquium inſtitutum fuit, ſed absque fructu. vid. Rechenb. l. c. pag. 617. L. Oſiander. l. c. p. 949.

De cætero inter Theologos, qui F. Concordiæ non ſubſcripſerunt, etiam fuerunt Principis Anhaltini, Joachimi Erneſti, Theologi & inter hos præcipuus Amlingus, vir eruditionis falſa opinione inflatus, ætate juvenis & audax. Cum hoc homine juſſu Electoris Auguſti Colloquium habitum eſt An. 1585. à præcipuis Theologis Libri Conc. authoribus in oppido Herzbergenſi. Ubi diſputatum de

perſona

perſona Chriſti & communicatione Idiomatum & ab Amelingo inter alia aſſertum fuit ; Chriſtum etiam ſecundum divinitatem eſſe Patre minorem; ad quam aſſertionem Theologi reliqui exhorruerunt & Chemnitius dixit: Audio hîc Arium loquentem. Etſi autem Amlingus dicta ſua non ſuſcepit defendenda, in reliquis tamen non ceſſerunt Anhaltini; unde colloquium ſine fructu eſt ſolutum. vid. Rechenb. l. p. 619. & Oſiander p. 965. Ita nimirum plerumque ὑπȣλόν τι ſuberat apud eos, qui ſubſcriptionem detrectabant. Ceperunt etiam hinc inde novi errores veteribus ſuperaddi, vel dudum ſepulti reſuſcitari. Unde jam ineunte Seculo XVII. de formulæ Concordiæ ampliatione conſilia nonnullibi fuere agitata, à quibus hodienum quidam feruntur haud alieni; quæ num proficua vel olim fuiſſent, vel nunc futura? prudentioribus disquirendum relinquimus, tametſi argumenta, quæ ante Seculum præcisè in contrarium movebantur, etiamnum ſtrenuè militare exiſtimemus. Tantum de F. Concordiæ, quam hactenus nemo ullius erroris potuit convincere, imò nonnulli, qui per aliquot annos in omnia alia abituri videbantur, nunc demùm editis ſcriptis honorificum ei teſtimonium perhibere occipiunt.

De Viris heterodoxis & Apoſtatis in Ducatu Wirtembergico.

QUam immane crimen ſit deficere à veritate & ad ſuperſtitionem, falſumque cultum prolabi, aut

redire, Autor Epiſtolæ ad Hebræos graviter monet cap. 6. Eſt autem eò gravius flagitium, ſi committatur à Doctore vel Miniſtro Verbi, quippe qui non ſe tantùm præcipitem agit, verum etiam alios in eundem Labyrinthum errorum conjicere omnibus ingenii nervis contendit. Vocari in iis aſſolet heterodoxia, quæ honeſto pietatis pallio plerumque circumponitur, noſtrâ præſertim ætate, quâ orthodoxias vocabulum quamplurimis ludibrio eſt. Utinam vero peccati ejus magnitudinem ſecum penſitarent altius, quibus orthodoxia nauſeat. Facilis, nempe, & hic eſt

Deſcenſus Averni

Sed revocare gradum, ſuperasque evadere ad auras;
Hoc opus, hîc labor eſt.

Wirtembergiæ Ducatus pauca quidem, ſed tamen memoratu digna nobis ſiſtit exempla hominum, qui fidei & veritatis naufragium fecére. Præterimus Johannem Ferberum, Civem & Piſtorem Backnangenſem, ad Mahumedanam impietatem ingenti ſcelere prolapſum, cujus mentionem jamdum in Vitâ Steph. Gerlachii injecimus P. I. Pergimus viciſſim ad eos, qui à religione Lutherano-Evangelica tranſierunt ad caſtra Pontificiorum, qualis Seculo XVI. fuit

MARTINUS ISENGREINIUS, Academiæ Ingolſtadienſi Cancellarius; patriâ Wirtember-

bergicus, domo Stuttgardianus, Patre Consulari Viro natus circa Annum 1545. aut 1550. Verâ religione à teneris imbutus Tubingæ literarum artiumque studia prosecutus est. In Bavariam deinceps delatus purori doctrinæ nuncium misit, mundana cum Dema amplexus & ad Cancellarii Ingolstadiensis dignitatem evectus, ubi quamplurimis scriptis tàm Latinis, quam Germanicis in doctorum notitiam pervenire laboravit; Cumprimis purgatorium ex V. T. novis, uti existimabat, argumentis communire conatus est. (a) In materiâ tamen de meritis bonorum operum magis sobriè, quam alii Pontificii sensit; unde à M. Beckio nonnunquam in testem veritatis producitur. in dem Lutherthum vor Luthero. Reliqua de vitâ & morte illius è Pontificiis Biographis petenda sunt. Fratrem habuit D. Balthasarem Isengreinium Consistorii Stuttgardiani quondam Directorem, qui apostasiæ fratris jugiter ingemuit. Scripta passim recenset G. Draudius in Biblioth. Classica German.

Eodem Seculo Christophorus Zieglerus, itidem Stuttgardianus, ad Jesuitas sese contulit, quibus sanguinarium planè consilium ingratus erga patriam cuculus suggessit. Cum enim ad Jesuitas Landspergenses per Noribergensem quendam hypocritam scriberetur, Illustrissimam Principem ac Dominam, Dominam Ursulam Dorotheam, Illustrissimi Principis ac Domini Ludovici, Ducis Wirtembergici conjugem pientissimam, defunctam esse & spem etiam esse ipsum quoque Principem ob nimium

(a) *Chemnit. Consil. Trid. Exam. P. III. p. m. 208. edit. in 8. Francof.*

mium dolorem & luctum, quem ex conjugis carissimæ morte conceperit, mox eam subsecuturum, Zieglerus ajebat: Si hoc fieret, omnia nostra consilia & omnes vires conjungere vellemus, ut ditione istâ Dux Ferdinandus Oenipontanus potiretur. Quia autem id sine gladio & sanguine fieri non posset suasor essem, ut omnes Clerici & devoti, omnes Monachi & Canonici & quicunque per vires possent, concurrerent & uno impetu Wirtembergiam invaderent, resistentes contrucidarent & sic illorum templa & Scholas nostri inhabitarent. Scio, inquiens, aliâ ratione ipsos vinci & ad obedientiam redigi non posse. Nam Wirtembergenses in suâ religione sunt rigidiores & pertinaciores, quam ut promissis, vel minis, vel muneribus, vel scriptis, vel consiliis ad Romanæ Ecclesiæ subjectionem & obsequium pertrahi possint. (b)

Seculo XVII. MATHÆUS MüLLERUS, Medicinæ Doctor & ejus in Academiâ Tubingensi Professor in hoc omnium infelicissimus fuit, quod desertis Evangelicæ Religionis castris ad Pontificiam Ecclesiam transfugerit; teste D. Balthasaro Mezgero. (c) Secutus eum an fortè antegressus? maximo totius Ecclesiæ Lutheranæ scandalo

CHRISTOPHORUS BESOLDUS, JCtus & Professor in Academia Tubingensi quondam celebris Tubingæ, Anno 1577. lucem hanc auspicatus parentibus paterni materni que generis spectatissimis.

(b) *Vid. Eliæ Hasenmülleri Hist. Jesuit. pag. m. 127. seq.*

(c) *Orat. in Jubil. II. Acad. Tubing. p. m. 113.*

tissimis. Anno 1610. Professor Academiæ primum inauguratus florere famâ cepit, tantosque tulit fructus, ut inde tota ferè Europa germina sua fertilissimè mutuârit. (d) Erat quippe Historicus & Jure Consultus tantus, ut eo Germaniâ ista quidem ætate superiorem neminem, pares admodum paucos haberet. Utinam verò constans mansisset in agnitâ veritate, nec tam fœdam nomini suo labem inussisset, quæ nunc omnem ejus gloriam penitus obscuravit. Anno enim 1635. cum post celebrem illam Protestantium apud Nerolingam cladem omnes eorum vires cecidisse, deque Lutheranâ religione conclamatam esse crederet, Evangelicorum communione missâ, Papicolarum Ecclesiæ sese adjunxit, & Professionem Juris in Academiâ Ingolstadiensi obtinuit. Postmodum Romanus Imperator illum Viennam, & Pontifex in Academiam Bononiensem oblatis 4000. ducatorum invitavit, promissa insuper peculiari diplomate Præpositurâ Stuttgardianâ. Antequam verò se illuc conferre posset, haud dubiè non sine morsibus conscientiæ, cum alterâ vice repeteret: Sterben ist ein hartes Kraut / ad summæ justitiæ tribunal justo Dei judicio avocatus est. d. 15. Sept. An. 1638. ætatis 61. funebri Oratione laudatus à D. Arnoldo Rath / Professore Bavaro, quam Synopsi Besoldianæ annexam vide cum Catalogo scriptorum. Fuit aliâs, etiam nostrorum testimonio, vir inculpatæ vitæ, sed religionis, ut Libertinorum mos est, semper quasi mediæ, unde jam Anno 1627. propter editum Vanitatis mundanæ speculum in concione publicâ notatus fuisse perhibetur à paren-

(d) *A. Rath. in Orat. parent. p. 11.*

à parentatore. Defectionem ſuam libello Motivorum incruſtare conatus eſt, quæ D. Tobias Wagnerus, t. t. Evangelici Miniſterii Eſslingenſis ſenior refutavit ſub titulo: Evangeliſche Cenſur und gründliche Widerlegung der vermeynten erheblichen Motiven / warum D. Christoph Beſold ꝛc. D. Wagneri Examen Elench. Atheism. Specul. p. 83. ſeqq. & Caroli Memor. T. I. p. 854. ſeq. & p. 868. Sunt qui cauſam apoſtaſias in Theologum noſtratem, D. Lucam Oſiandrum, Juniorem, ejusque libellum contra B. Arndium devolutam velint. (e) Enimvero ſi conſideremus, quæ Parentator Pontificius loc. cit. pag. 37. refert: Beſoldum, nempe, jam Anno 1630. Heilbrunnæ Kal. Auguſti coram Wolffgango Hœgnero, ordinis fratrum Minorum ſtrictioris obſervantiæ, Provinciæ Alemannicæ Miniſtro Provinciali, præmiſſâ generali totius vitæ expiatione & exomologeſi imò uti Arnoldus Kath p. 19. ait cum publicâ erroris (veritatis Evangelicæ,) execratione pontificiam religionem profeſſum eſſe, coram teſtibus legitimis ad præſcriptum SS. Concilii Tridentini. Utique inſignem hypocritam & illuſorem turpiſſimum fuiſſe oportet, qui per integrum adhuc quadriennium Lutheranorum ſacris intereſſe non dubitavit. Quæ hypocriſis, longè alias, easque probè conditas defectionis cauſas ſubfuiſſe, non obſcuro argumento eſt. Excepta quædam ex ore illius vox eſt, patriæ ſuæ multorum annorum ſpatio exitium paràſſe, demonſtrans, quod ipſum & Documenta Monaſteriòrum ab eo in lucem edita & per-

(e) D. Spener / *Hiſt. Piet. p. m. 29.* Arnolds Kätzer-*Hiſt. P. II. p. 479.*

perquam acerbis animadverſionibus paſſim interſperſa luculenter comprobant. Ne dicamus, quod auream crucifixi effigiem magni pretii ſecum ex gazophylacio Academico abſtuliſſe feratur. Quæ omnia cum præſumtâ pietate & tenerâ conſcientiâ, quæ B. Arndii refutatione ſcandalizari potuiſſet, nedum ad apoſtaſian impelli, non conveniunt. Quisquis igitur patriæ proditoris & Apoſtatæ fœdiſſimi ſcelus tam frivolis excuſationibus emollire conatus fuerit, æthiopem dealbaverit.

Interea manifeſtum eſt iſtius farinæ homines Eccleſiæ, quâ exeunt, geminam plerumque infamiam aſpergere tùm apud eos, ad quos transeunt, tùm apud ipſius religionis veræ ſocios, qui ſiniſterius quandoque de cauſis mutationum judicare ſolent. Nec ſubſtitit intra calumnias & ſuſpiciones diſtortas defectionis Beſoldianæ fructus, quin diverſos ſecum raperet in ejusdem perfidiæ barathrum, cum ſi parentatoribus fides, non tantum filiam relictam Mariam Dorotheam octavum annum agentem, Pontificiæ Eccleſiæ immolârit, verum etiam uxorem, hactenus in veritate conſtantem, ad defectionem etiam moribundus ſolicitaverit. Et jam ante ſuum è patriâ egreſſum, multos ſtudioſos, æterno ipſorũ malo, perverterit. Sequaces quippe veſtigia Beſoldi infelicis preſsére J. Oexlinus, Archi-Epiſcopi & Electoris Moguntini Conſiliarius factus, qui antea erat Wirtembergicus. Georgius Ludovicus Lindeſpührius, Beſoldi diſcipulus; qui morienti adfuit, & Joh. Jac. Speidelius, J. U. Licentiatus, omnes à patriâ & verâ fide ad Papæam religionem transeuntes, & conſilia, quæ patriæ debebant ſaluti, in ejus perniciem conferentes.

Sed

Sed & Isaacus Volmarus, Cæſareæ Majeſtatis ad pacificationem Osnabrugo - Monaſterienſem Legatus & Plenipotentiarius è Wirtembergico Ducatu oriundus, Pontificiorum ſacris initiatus malam Principi & Patriæ gratiam rependere anniſus eſt; ut verum maneret proverbium: Omnis Apoſtata eſt perſecutor ſui ordinis. (addo & patriæ) vide Samuel Pufendorffs. Schwedisch und Teutsche Kriegs-Geschichte. Libr. XVIII. §. 133. p. m. 173.

E Theologiæ ſtudioſorum cœtu M. Johannes Kircherus, pulcherrima in principio de ſe factâ ſpe, ſuis Ephoris atque ordinibus Academicis pergratus, poſtea caſu aliquo purioris vitæ veſtigia prætergreſſus & in anguſtias conſtituendæ fortunæ actus; porrò conſiliis non ex myrothecio veræ pœnitentiæ depromtis ad ſananda mentis ſtatusque ſui vulnera uſus; denique ad caſtra migravit, ubi contra gloriam Salvatoris militatur & miſerè ſubverſus eſt, ex Lutherano Pontificius factus Anno 1639. cum univerſus Ducatus de ſui Principis reditu ad diſcutiendas tempeſtates ſibimet gratularetur ipſe in Hungariam abiit militaturus non contra Turcam, ſed Chriſtum. Eum in viam revocare ſategit D. Dorſchæus, Argentinenſis Eccleſiæ lumen, edito hunc in finem Kirchero Devio, ſ. Hodegetico Catholico & Principi Eberh. III. dedicato. vid. Caroli Memor. Tom. I. pag. 942.

Anno 1659. Timotheus Laubenberger, Philippi Laubenbergeri Eccleſiaſtis Reutlingenſis filius, & in Ducatu Wirtembergico Diaconus Mezingenſis, eodem inſaniæ percitus œſtro ad Papæos tranſiit, ſycophanta deinceps nugaciſſimus, impudentiſſimus

gna-

gnavusque Vetteri & Pistorii ex Societate Lojoliticâ æmulus, Electoris & Archi-Episcopi Moguntini parasitus, qui scriptum rhapsodicum publicavit sub titulo: Kohl-schwartzes Lutherthum und Catholisches Papstthum / quo totum denigrare Lutheranismum & Papatum dealbare frustra laboravit, refutatus à Zacharia Hogelio, Pastore Erfurtensi, libro, quem Papatum Diabolicum inscripsit Author. Paulò tamen post Laubenbergerus religionis Lutheranæ & Romanensis Unionem è sola Confessione Augustanâ ejusque conciliatione in ipsis Comitiis peracta colloquio tanquam instrumento pacis jamdum conciliatam jactabat, im Catholischen Dancke dir GOtt / proptereaque cum nullâ necessitate vel justâ causâ interrupta fuerit, redintegrandam urgebat &c. vid. Caroli Memor. Tom. II. p. m. 212. 218. seq.

Tandem Anno 1673. Antonius Winterus, qui Anno 1663. ex Academiâ Herbipolensi advenerat, Stuttgardiæ clementer exceptus & Professor Theologiæ Supernumerarius cum honesto salario creatus; desertâ, quam apud nos duxerat, uxore de vitâ inpuriore à B. Wagnero haud semel interpellatus, ad vomitum rediit, missis ad Senatum Academicum literis, quibus sese amplexum nostræ religionis tantùm simulâsse professus est impostor verius, quam apostata, de quo dici possit: Bis corvus, ter pica fuit, ter fune ligatus. conf. Caroli Tom. II. p 299.

Jungimus hisce reliquos Viros heterodoxis principiis imbutos, eaque de causâ Wirtembergiæ finibus ejectos. Talis erat Thomas Nao-Georgus, (Teuto-

nicè Kirchbaum, aliis Kirchmajer, (a) quem Martino Clessio in Officio Pastoris ad D. Leonhardum Stuttgardiæ successisse P. I. diximus; Is Straubingæ in Bavariâ Anno 1511. natus, Sulzæ in Thuringiâ primum, deinde Calensis ad Salam oppidi Pastor fuit; ubi libellum de prædestinatione circa Annum 1536. scripsit, quem Lutherus & Philippus Melanchthon non probaverunt, quia in eo de prædestinatione periculosè locutus fuerat, ac statuerat, ab electis non amitti Spiritum Sanctum etsi in manifesta crimina incidant. (b) Anno 1546. inter ipsum & Casparem Aquilam Superintendentem Salfeldensem dissidium ortum est, quod hunc exitum habuit, ut Naogeorgus Vinariam ad Consistorium Ecclesiasticum citatus, ex provinciâ, quod imperata facere nollet, & coërcitionem metueret, sese subduxerit. Opinionem suam de electione & amissione fidei, quam deserere videbatur, non solùm renovavit, verum & in articulo de Sacrâ Cœnâ Zwinglii Sententiæ accedere visus est. Ab hâc quidem accusatione, cum d. 28. Aug. Vinariæ in Consistorio responderet, utcunque se purgavit, quæ docuisset, non Saxonicæ, sed Pontificiæ transsubstantiationis sententiæ, opposuisse se dicens: Sed de alterâ quæstione; an electi Spiritum Sanctum & fidem amittere possint? subtilius respondit. (c) Nao-Georgus igitur desertâ priore statione in Wirtembergiam venit, (Theologiam enim didicerat Tubingæ,) ubi Stuttgardiam in ministerium adlectus, sed tempore Carolini edicti ejectus,

(a) *Joh. Molleri Homonymoscopia p. m. 833.*
(b) *Seckend. Luther. P. III. p. m. 135.*
(c) *Seckendorff. l. c. p. 665.*

ejectus, Basileam sese recepit, donec Anno 1549. Stuttgardiam ad priorem stationem rediret; ubi Martino Clessio Anno 1552. in Pastoratu ad D. Leonhardum successit, cum verò & ibi Calvinianam opinionem tandem proderet, ab officio remotus in Palatinatum concessit, & Pastor in Oppido Wisenloch factus est; Ubi d. 29. Decembr. Anno 1563. ad plures abiit, ætatis 52. (d) Erat Vir doctus, sed concitatioris Ingenii; poëta etiam, ut libri qui extant, fidem faciunt, non spernendus; teste illustri B. de Seckendorff, qui tamen eum in Wirtembergicâ statione muneribus Ecclesiasticis probè functum ex Henrico Pantaleone tradit, adeoque in doctrinâ Lutherano-Evangelicâ perseverâsse, tametsi hæsitabundus, existimavit. vid. Seck. p. 665. conf. Arnold. K. Hist. Tom. II. p. 373.

Scripta.

De dissidiis componendis, in 8.
De ortu sedis Pontificum; sub nomine Th. Kirchbaur.
Satyra in Catalogum Hæreticum Romæ editum.
Satyra in Johannem de la Casa.
Commentarius in Jeremiam, Stuttgardiæ, 1618.
Exegesin in Johannem, quam edere constituerat, supprimendam censuerunt B. Lutherus & Melanchthon. De scriptis potest conferri Simler. Biblioth. p. 662, 664.
Crovæi Elenchus Interpp. Script. pag. 334. apud Joh. Mollerum l. cit.

(M) 2 Ex

(d) *Vid. Cruf. Annal Suev. Part. III. p. m. 721.*

Ex pari causâ pedem è Ducatu Wirtembergico Anno 1570. efferre jussus est *Joannes Frisius*, Superintendens Göppingæ, Wirtembergiæ oppido, qui cum uxore & liberis in Palatinatum secessit Brettanæ Ecclesiæ Minister factus. Rod. Hospinianus (a) eum tempore incommodissimo in exilium inhumanissimè ejectum ait, non aliam ob causam, quam quod viro pio & erudito portentosum ubiquisticæ Theologiæ figmentum cum suis connexis æquè absurdis non posset probari, ideoque Cinglianus & proinde exilio dignus judicaretur. Cum vero jam Anno 1558. promulgatum fuerit Ducis Christophori edictum contra sectarios præsertim Zwinglianos, egregium hypocritam fuisse oportet Frisium, qui integro duodecennio sententiam occultare, vel clanculum docere sustinuit. (a)

De ratione Sectarios coërcendi in Ducatu Wirt. usitatâ.

Ecclesiæ statum nunquam esse, aut fuisse, aut futurum tàm tranquillum & beatum, ut ab omni Pseudo Prophetarum,& falsorum doctorum lue plenè sit perpurgata cum sacris literis experientia quotidiana confirmat. Militandum est cuivis Christiano, ultimis præsertim hisce temporibus, quibus multi deficiunt à fide, attendentes Spiritibus erroneis. Ipse B Lutherus Vir entheus, in ultimâ suâ Concione Witebergæ habitâ commemorat, se ultra 30. præ se habuisse sectarios, quibus per Dei gratiam resti-

(a) *Vid. Histor. Sacrament. P. II. p. 342. a.*

restiterit, alioqui 30. sibi religiones amplectendas fuisse. Quomodo verò Magistratui Politico cum schismaticis & hæreticis agendum sit? vexata est quæstio. Nonnullis, malè intellectis Apostoli verbis: Hominem hæreticum post unam & alteram admonitionem devita; per insulsam tmesin planè de vitâ tollendos esse cum Thomâ Aquinate, censentibus; quæ Pontificiorum est immanitas, Calvino quoque approbata, sed in ejus asseclas in regno Galliarum, more plusquam barbaro, tum in nuptiis Parisiensibus, tum præterito proximè seculo per dracones regios exercita. Mitius omninò & prorsus ad S. Spiritus mentem sensere Theologi Evangelici, & inter illos nostrates. Provocamus ad omnia scripta Wirtembergicorum, in quibus de hæreticorum coërcitione agitur; Ut mirum sit, quod hyperaspistes Arnoldianus Wirtembergicos & præsertim Tubingenses Theologos nimii rigoris & sævitiæ quoad hoc punctum arguere non vereatur. Urit nempe G. Arnoldum & sequaces ejus J. Keilii, Ludovici Bronquelli J. J. Zimmermanni, aliorumque paucis abhinc annis facta relegatio justissima. Enimverò tantum abest, ut nimii rigoris, aut crudelitatis alicujus in hæreticorum vel schismaticorum coërcitione accusari queant Wirtembergiæ Principes, Consiliarii, vel Theologi, ut potius summa lenitas & mansuetudo erga istiusmodi homines subinde usurpata ex quam plurimis Actis ad oculum demonstrari queat. Nam quod consilium illud contra Anabaptistas à Tubingensibus latum concernit, supra diluimus. Solet autem communiter distingui inter hæreticos; quorum aliqui tantum errant, neque alios in errorem

ſuum inducere laborant; Alii non tantum errant, verum etiam alios ſeducere omnibus viribus annituntur; Alii non ſeducunt modo, verum etiam tumultuantur, ſeditioſis quippe principiis inflati; Alii non tam in fide errant, quam aliis ſpe lucri, aut *famæ*, vel Heroſtrati temeritate, parandæ cauſâ imponunt, Angelorum colloquia viſiones & ſomnia divina jactantes; Alii non ſolum errant & ſeducunt, ſed & doctrinam puriorem, ipſumq; Chriſtum Dominum noſtrum impiè blasphemant. Primi generis ſive hæreticos ſive ſchismaticos in republicâ Chriſtianâ tolerari poſſe indubium eſt. Seductoribus obicem ponendum ne ipſi quidem diffitebuntur adverſarii, quanquam ad ſanguinem usque in eos animadvertere permiſſum non ſit. Seditioſós verò, impoſtores & blasphemos condigno afficiendos eſſe ſupplicio, nemo, cui ſanum ſynciput eſt, inficias iverit. Secandæ enim putridæ carnes & ſcabioſum animal à caulis ovium repellendum, ne totum corpus & pecora corrumpantur, putreſcant, intereant. Hieronym. Libr. V. Com. epiſt. ad Gal. cap. 3. Gradus tamen correctionis cum omnibus adhibendos ratio ſuadet, poſtulat charitas, Deus imperat.

Ideoque in Wirtembergico Ducatu inde à temporibus plenariæ reformationis usque adeò fuère obſervati, ut è numero ſtudioſorum, & Eccleſiæ Miniſtrorum qui ſeceſſum ab Eccleſiâ fecerunt, nullus ferè fuerit, cui non in tertium usque annum reſipiſcendi ſpatium ſit indultum. Imo tantum abfuére à rigore nonnullorum exempla, ut planè ad lenitudinem vergerent; Informari juſſére omnes & ſingulos Principes Wirtembergiæ clementiſſimi,

tissimi, nec nisi extremâ contumaciâ coacti gravius quid in istiusmodi homines designavere. Quantâ pietate? quo labore? quâve industriâ eos in viam reduci voluerint, Bartholomæi Hagenii exemplum comprobat. Is à J. Calvino, aliisque Doctoribus Zwinglianis in sententiâ sequiore de S. Cœnâ per literas confirmabatur. Ab eo igitur Dux Christophorus confessionem scriptam exegit, deque illâ Generalium & Specialium superattendentium sententias seorsim exquisivit. Mox Stuttgardiæ Synodum ex iis omnibus constantem coegit. In quâ D. Jacobus Andreæ à Viris Secretioris Consilii voluntate & jussu Ducis vocatus, coram congregatis non solum Theologis, sed etiam Politicis Consiliariis, videl. D. Theodorico à Plieningen, magno Curiæ Magistro, D. Joh. Tesslero, Cancellario, & D. Hieronymo Gerhardo Pro-Cancellario collationem cum B. Hagenio instituere jussus est. Qui cum post publicum illud colloquium, (in quo suam opinionem liberrime tueri permissum fuit, ita, ut ad Brentii exegesin & consensum ipso præsente provocare non dubitaret,) privatum insuper expeteret, etiam illud impetravit. Quo facto deinceps errorem suum in consessu omnium Consiliariorum & Theologorum confessus & deprecat⁹ ad priorem stationem, citra ullam animadversionem in pace rediit. vid. Fam. Andrean. p. m 95. seqq. Et hæc perpetua fuit praxis in hoc Ducatu; Unde & in consiliis adexteros in controverversiis religionis datis, mitiorem sententiam ut plurimùm sunt amplexi nostrates Theologi, sed ita, ut personis tantum parci vellent, erroribus minimè patrocinantes. Æquiores fuisse A. Osiandro &

evolutis diligenter ſcriptis ejus mitius ac commodius ipſius dogma interpretatos eſſe; neque illum pro hæretico damnare voluiſſe, palàm gloriatur filius, L. Oſiand. Hiſt. Epit. Cent. XVI. p. m. 556. & ſopitum eſſe diſſidium à Jacobo Beuerlino, Cancellario Tubingenſi atque Ruperto Durrio, itidem Wirtembergico, ſed tum Eccleſiæ Pforzheimenſis Antiſtite, qui eo finè publicâ authoritate in Pruſſiam venerant notum eſt. vid. Fecht. Apparat. p. 245. Hanc moderationem inter alias cauſam exiſtimamus, quod Sec. XVI. Theologi Wirtembergici ad componendas paſſim lites quaquaverſum fuerint evocati. Quod verò nonnulli ſtationibus ſuis fuerunt ejecti, pertinaciæ illorum culpa erat. Ita Sigismundus Kintingerus, Superintendens Neoburgicus ad Danubium, de Calvinismo accuſatus Anno 1561. cum de mutandâ ſententiâ non ſolum à D. Jacobo, ſed & Palatini Principis Conſiliariis Intimis admoneretur, omnem ulteriorem collationem interrupit & dimiſſionem petiit. Eodem tempore Conradus Marius Wolffgangi, Palatini, filiorum Præceptor, qui juventutem illuſtriſſimam juxta A. Conf. & B. Lutheri Catechismos in ſententiâ de Euchariſtia docere datâ ſyngraphâ promiſerat, fidem fefellit & adhibitis in caſſum omnibus mediis, quibus Ulricus Sizingerus, Cancellarius Neoburgicus, Joh. Sebaſtianus Phauſerus, Superintendens Lauingenſis & Jacobus Andreæ, Antiſtes tum Göppingenſis, (cum quo literarum commercium frequentaverat,) uſi ſunt, ab officio moveri, quam opinionem ſemel conceptam deſerere maluit, poſtquam tacitè Calvini dogma juvenum animis inſtillare jamdum cepiſſet,

ſet. Pari modo animum in opinione Cinglianâ obfirmârunt, Thomas Naogeorgus Paſtor Stuttgardianus & Joh. Friſius, Superintendens-Göppingenſis, diu ſatis tolerantiam experti, ſed absque fructu emendationis. Quod idem Euſebio Clebero Meñingæ & Tobiæ Rupio Lindaviæ remotionis cauſa fuit.

De Samuele de Hubero Bernate.

SAMUELEM HUBERUM monſtri quid alere jam ante digreſſum ejus in Saxoniam naſutioribus ſubolebat, id quod è literis Ægid. Hunnii infra exhibitis facilè colligitur. Theologos certè Tubingenſes, cum Derendingæ verſaretur, clanculum jam ſuggillaverat quaſi in Articulo Prædeſtinationis in Calvinismum inclinarent. Sed cum aliquid eâ de re ad Theologos Tubingenſes emanâſſet & ipſe ſuper eâ re compellatus eſſet, cepit pleraque negare, aut certè ita explicare, ut Theologi contenti eſſent, neque quicquam turbarum metuerent. Itaque amicè, ut amicus, à Theologis & Profeſſoribus Tubingenſibus dimiſſus eſt. vid. Oſiand. l. c p. 1092. Calumnia igitur eſt, quam Arnoldus (a) refert, (& quidem ut videri vult ex ipſo Oſiandro, qui tamen ne verbulum de eo habet,) quaſi Theologi Wirtembergici demum poſt motum certamen ſcripta ejus priora perquiſiviſſent, variaque erronea dogmata inde eduxiſſent. Notus illis jamdum cum ſuâ opinione Huberus erat, ſed ob explicationem ab ipſo datam & amplioris ſpartæ collationem optima quæque ex charitate Chriſtianâ de illo ſperabant. Quare & Abel Vinarius Generalis-Superintendens Lorchenſis

(a) *Hiſt. Haret. P. II. p. m. 371. §. 6.*

ſis theſes ejus à Jacobo Kimedoncio, Prof. Heidelbergenſi impetitas, vindicare non dubitavit. Cumque jamdum exorta eſſet contentio, admonitus fuit à Theologis Wirtembergicis literis amicis & gravibus adductis rationibus, ut errores deponeret, & ſi fortè melius ſentiret, linguam & ſtylum corrigeret, qui de cætero proteſtati ſunt: ſe nulla ex parte erroneis dogmatibus Huberi conſentire. Conati ergò ſunt Theol. Wirtembergici in medio certaminis ardore Huberi fortunæ conſulere. Tantum abeſt, ut errores è ſcriptis ejus protrahere ſtuduerint. Sed & illud falſum eſt, quod tradit Dominus Arnoldus: Huberum non obſtante controverſiâ jamjam fervente Doctorem creatum; diſertè enim facultas Theologica Witebergenſis negavit: ſe illi doctoratus gradum poſſe conferre, niſi aliter doceret. Ipſe cum verò in iis anguſtiis hæreret, neque exiſtimationis jacturam facere vellet, rediit ad priores illas ſuas artes: Ut quædam negaret, quædam commodè interpretaretur; ita admiſſus eſt ad doctoratum, quem dolis & verſutiâ ſuâ illi laudatiſſimæ Academiæ ſuffuratus eſt. vid. Oſiander l. c. pag. 1093. Quam inquietum inſuper, quam immodeſtum, nec minus avarum animum ſtatim in primordio ſuæ profeſſionis oſtenderit, ex literis Hunnianis præmemoratis liquet.

Itaque ab officio dimiſſus hinc inde vagabatur patronos ſententiæ ſuæ quærens. Cumque paulò poſt reſtitutionem in Scholam & Eccleſiam peteret, reſponſum accepit ab Adminiſtratore Saxonici Electoratus, Friderico Wilhelmo, qui in Comitiis Ratisponenſibus erat, ut cum Wirtembergenſibus Theolo-

Theologis, qui in causâ usurariâ tum ibi erant, conferret & consentiret, aut in Saxoniam non rediret amplius. Collocuti autem sunt cum eo D. Eberhardus Bidembachius, Christophorus Binderus, Senior, Lucas Osiander, D. Felix Bidembachius & D. Jacobus Heilbronnerus. Actum est & disputatum cum eo per aliquot dies sed nihil effectum, ipseque summo mane diei, quo se rediturum ad colloquium promiserat, Ratisponâ clam discessit. Venit deinceps Tubingam & per literas supplices à Serenissimo Principe obtinuit, ut sibi liceret cum Theologis Tub. de suo dogmate conferre, sed abusus libertate studiosos inficere conatus est, ideoque quod *incorrigibilem* se præberet, & Rotenburgi etiamnum, ubi aliquandiu commorabatur, stipendiarios alliceret, è toto Ducatu tandem discedere jussus est. Acta Manuscripta Huber. conf. Acta impressa & Osiandr. l. c.

De Anabaptistis.

SEverius animadversum est in Anabaptistas & Schwencfeldianos, tanquam Reipublicæ & Ecclesiæ turbones, seditiosos & blasphemos, de quibus, ut & ipsis Sacramentariis edictum Anno 1558. à Duce Christophoro promulgatum fuit, quod juxta primam editionem documentis inserere placuit eo fine, ut quibus ordinationis Wirtembergicæ majoris juxta primum exemplar copia non est, ex edicto præsenti laudatissimi Principis Zelum & rationes gravissimas, quibus ad Sectariorum

riorum ejectionem fuerat impulsus, ediscere possent. Cum verò, ut fieri solet, mandato Principis susque deque habito non desisterent sectarii Ducatum irrepere, clandestinos conventus agitare, Ministros verbi & Sacramenta conviciis proscindere & cœtus publicos maximo reliquorum scandalo aversari, contemnere, detestari; totius Provinciæ Præfectis injunctum fuit, ut Antistites cum discipulis in conventiculis privatis deprehensos caperent, captos de punctis homagium concernentibus coram tribus Senatoribus & Poligrammateo explorarent, exploratos Superintendentibus ad consimilem examinationem de Articulis fidei sisterent, pro re nata in carcerem conjicerent, & illorum effata ad Curiam referrent. Quod si aliqui ex iis ad saniorem mentem redituri informationem recipere vellent, publicam agerent pœnitentiam, errores & datum à se scandalum Ecclesiæ confiterentur & deprecarentur, suamque in melius mutationem proximâ Eucharistiæ acceptione obsignarent & confirmarent. Reliquorum verò, qui in errore obstinati sint, bona fisco adjudicentur, ipsique cum suis eâdem secta imbutis Ducatu ejiciantur. Gradus itaque in sectariorum coercitione omninò fuére adhibiti decentes, & imprimis Pastori Aurbacensi Anno 1575. data instructio, quo pacto cum errantibus non solum privatim, sed & publicè in concionibus agendum sit? Neque consilia de Sectariis à solis Theologis fuére profecta, sed Anno 1555. à Senatu Justitiæ; Anno 1568. & 1569. à conventu Synodali & Doctoribus Juris, & sic deinceps, ut frustra sit dicacitas hyperaspistæ Arnoldiani, qui actiones & consultationes Wirtembergicorum

gicorum Theologorum, Tubingensium præsertim, nimii rigoris accusat, & quamquam mitiorem nostratium sententiam ex Felice Bidembachio in Consiliis Decad. III. p. 212. conscientia urgente tandem sit confessus, non tamen desinit eos criminari. Cumque B. Carolus Anabaptistas examinatos & refutatos fuisse, & spatium resipiscendi adeptos obverteret, ipse pro libidine suâ non modò in dubium id vocare audet, verum etiam examinandi & informandi methodum, de cujus ratione nîl omninò ei constat, nec solidam fuisse, nec mansuetam autumat. (a) Ita, nempe, semper aliquid hæret, ubi quis semel audacter calumniari consuevit. De cætero quia toties repetit nonnullorum sub regio dominatu & ante plenariam hujus Ducatus reformationem, per supplicia deletionem, & B. Carolum, qui Anabaptistas vel propter seditionem, vel propter blasphemias è medio sublatos non immeritò conjecerat, absque probatione id asserere causatur, non abs re fuerit commemorare, quæ scriptor illis temporibus coævus in Historicâ relatione de ortu & progressu hæresium in Germaniâ p. m. 56. 57. de Textore quodam refert sequentibus: Hiemali tempore Anno 1529. quidam Textor Augustensis unà cum uxore suâ, ambo non legitimè nati, domum habentes propè templum S. Crucis, de Augusta egressi, (rebaptizantes enim fuerunt,) juxta Blaubeuren domum alicujus molitoris intravére & ibidem se suscipi rogaverunt. Cumque molendinarius se excusaret: Se locum in domo non habere; precibus institerunt, ut locum eis in stabulo digno pretio

(a) Historis. Betrachtung wider *B. Caroli p. 402.*

pretio concederet, quod molendinarius intuitu Dei concessit. Iste autem Textor omni hebdomada in magnâ quantitate, promtâ pecuniâ, farinam pro decoctione panum ab eo emit, quod molendinarius admirans, quomodo tot panes sumere, aut exponere possent? Unde in nocte vigilavit & excubias habuit, explorationeque edoctus invenit, quod multi homines eos in nocte accederent. Molendinarius autem suos domesticos in stabulo suspectos habens, præfectum villulæ suæ accedens hæc omnia insinuavit. At præfectus molitori silentium imponens rem detulit ad Consilium Dominorum in regimine Stuttgardiæ constitutorum; qui exinde noctu superveniens 9. Anabaptistas cepit & Stuttgardiam captivos abduxit. Qui secum habuere coronam argenteam deauratam, torquem aureum valore 300. fl. argenteum deauratum sceptrum, argenteum pugionem ut gladium, quæ omnia Ulmæ fabrefacta & emta fuere. Inter novem captivos fuere duo Augustenses textores. Primus fuit, de quo supra mentio facta est, qui apud molitorem hospitatus est, alter fuit Gallus Fischer. Hi cum his regalibus insigniis seditiosos Wirtembergiæ rusticos accedere voluerunt, & Regem inter illos eligere atque coronatum regalibus istis inaugurari, & Textor ille, qui apud molendinarium fuerat, Rex fieri debebat. Cum autem captivi Stuttgardiam adducti essent, ab invicem segregati sunt, ut per torturam eò melius ab eis explorari posset, qui præfata & alia multa facinora, quæ præsumsissent peragenda, confessi sunt. Rex itaque illorum Augustensis cum aliis duobus sociis Stuttgardiæ incineratus est. Gallus Fischer cum

aliis

aliis duobus Nürtingæ; alii Kirchemii ſub Tek combuſti: Unus quoque Presbyter ſecularis cum molendinario igni traditi ſunt. Hactenus ille. Ex his facilè colligitur Anabaptiſtas ubivis ſibi ſimiles, neque, quod Arnoldianus l. c. P. II. Num. 103. gratis affirmat, inter Monaſterienſes & reliquos notorium fuiſſe diſcrimen. Hinc perpetuò ſeditionis & blasphemiarum rei aguntur in edictis Wirtembergicis, & prodit ſe hodienum ſpiritus ille in modernis quibusdam Pietiſtis, quando tempus adeſſe gloriantur, quo omnes impii ſint de medio tollendi & beſtia illa Apocalyptica, quam nonnulli Magiſtratum Politicum eſſe apertè pronunciant, penitus delenda, ut chiliaſtico tandem regno, quod omnes ferè ſomniant, queant potiri. Quam proclive ſit ejusmodi principiis imbutos ad arma & tumultum provolare in ſolis diſco poſitum eſt. Jure igitur ſuppreſſi ſunt in Wirtembergico Ducatu Anabaptiſtæ, quanquam pro ratione perſonarum diverſimodè cum iis actum ſit. Unus quippe in arcem Wittlingenſem carceri mancipatus fuit. Ex adverſo fœmellæ cuidam, quia vetula jam erat, per multos annos fuit indultum usque ad obitum. Nonnulli ipſâ indulgentiâ deteriores redditi diſcipulos facere non deſtitere. Idque temporibus Ludovici Pii Libello quondam manuſcripto occultè ſparſo fecerunt, quâ μεθοδεία etiam uſi ſunt ætate Eberhardi III. juſſu Sereniſſimi à D. Melchiore Nicolai, Præpoſito Stuttgardiano, refutati, quod ipſum jam D. J. Andreæ in Concionibus Eſslingenſibus & Lucas Oſiander, Junior, Enchiridio peculiari Anno 1605. præſtiterunt. Meliora hoc pacto ſæpius edocti ſectatores, utque

utque in viam veritatis planam concederent, admoniti, contumaciter maximam partem in perverso suo tramite perrexerunt, propterea tandem jussi territorio exire, ne plures eorum consuetudine corrumperentur: Multi ergò bonis immobilibus venditis, (nam & hoc tandem eis permissum, licet bona Imperii constitutione fisco addicerentur.) Cæterisque suis rebus convasatis aliò migrârunt, præsertim in Moraviam, quo & Stephani Gerlachii fratres, soror & ipse parens jam Anno 1572. abierant. Ex malis tamen reliquiis mala soboles orta, subinde quasi herba irrigua succrevit ac longo tempore clanculum serpsit, atque ab initio Seculi superioris usque ad Annum 1607. non modò præconibus verbi divini, sed & politicorum cœtuum præfectis, iteratò multum negotii facessivit. Ex Zelo igitur verè Christiano Dux Fridericus peculiari mandato omnes & singulos territorii sui officiales politicos providè & sapienter denuò instruxit, quomodo juxta Ministros Ecclesiarum erga prænominatos ejusmodi sectarios ipsi se gerere debeant, ut vel convertantur, vel coërceantur & alibi res suas sibi habere jubeantur. vid. Cynos. Eccl. c. de Sectariis. Caroli Memor. T. I. p.m. 161. seq. Nihilominus ne sic quidem penitus extirpati sunt, quin circa Schorndorffam in pago Aurbach & alibi hærerent, quorum diversos M. Joachimus Schülinus in viam tandem reduxit. Cum vero post prælium Nördlingense Protestantibus exitiosum, Wirtembergiæ Ducatus peste, bello, fame, usque adeo incolarum numero decresceret, ut sexenii spatio 347000. homines interirent, non fieri poterat, quin cum aliis in hâc regione sedem fixuris,

tis, Anabaptistæ denuò intrarent, qui chiliastici regni, itidem in libello aliquo defensi & propalati, somnia animos solicitare ceperunt, & conventus suos clandestinos celebrare; Enimverò cum promiscuis libidinibus indulgere deprehenderentur, in herbâ suppressi sunt, & mandatum ex speciali commissione Serenissimi Domini Ducis Eberhardi d. 10. Jan. 1650. promulgatum est: Ne qui aliarum religionum homines in Ducatum reciperentur, nisi qui informationis cupidi & dociles Conciones & cultum publicum frequentarent. Non permittendam tamen ullam vel simulationem, vel dilationem; sed indociles illicò dimittendos. Intelligebat, nempe, sapientissimus Princeps non reverâ florere rempublicam, in quâ libertinismus religionum fovetur, aut sub hæreticorum colluvie subinde gemit veritas & purior Ecclesia. Neque sua tantum tempora, sed & posteritatem respexit Dux laudatissimus, ne in futurum istiusmodi turba incondita molestias & detrimentum regimini crearet. Hoc pacto Ecclesia Wirtembergica propè 50. annis ab Anabaptistarum furore mansit imperturbata, donec ille Spiritus speciosam Pietismi larvam indueret, sub quâ etiamnum grassari non desinit.

De C. Schwenckfeldio & asseclis ejus.

CUm Schwenckfeldianis eâdem ratione actum est, nisi quod eorum nonnulli probatæ vitæ testimonium præ se ferentes, mitius habiti fuerint. Ipse

autem Caspar Schwenckfeldius, cum sub Christophori Ducis regimine Wirtembergiam haud rarò tentaret, in edicto suprà memorato verbis sequentibus, tanquam seductor, notatus & territorio prohibitus est:

„Von Caspar Schwenckfelds eige„ner verfluchter Person.

Nachdem wir als eine Christl. Obrigkeit unsers tragenden Amts wegen dem Schwenckfelden anzeigen und verbieten lassen/sich unsers Fürstenthums/ und der unsern von GOtt untergebenen Unterthanen (damit die von ihme destoweniger mit seiner Gotts-lästerlichen Opinion und Lehre verwirret würden/) eigener Person zu enthalten/ dann wo er darinnen erfahren/ oder betretten/ daß wir Befehl oder Verordnung gethan/ ihne in unser Verhafftung zu bringen/ und unsere Straff seiner verführischen und verdammten Lehre halben/ wie sich gebürt/ zugewarten; Lassen wir es nochmalen endlich darbey verbleiben. Wollen und befehlen auch allen und jeden unsern Richtern/ Amt-Leuten und Unterthanen/ daß wo sie Ihne Schwenckfelden hierüber in unserm Fürstenthum und Obrigkeit / an welchem Ort und Ende/ und bey wem das wäre/ erfahren und betretten würden/ Ihne/ auch seine Wirth und Gäste miteinander aufheben/ und in unser Hafftung bringen/ und alsdann gegen Ihme

und

und solchen mit unserm Wissen handlen zu-lassen.

Iste Schwenckfeldius jam Anno 1534. primordia reformationis sub Duce Ulrico inter turbare conatus fuerat; & quia diversas nobilium familias cognatione attingebat, fautores passim repererat. Cumprimis Tubingæ occulti quidam ejus asseclæ nidulabantur, quos missis literis & scriptis confirmavit. Imò ipsum D. Jacobum Andreæ in partes suas pertrahere tentavit. vid. Caroli Würtembergis. Unschuld/ p. m. 276. Samuel Siderocrates verò, Germanicè Eisenmenger/ Matheseos antea, dein Medicinæ Professor in Academiâ Tubingensi, cum formula quædam religiosi juramenti à D. Andreæ proponeretur, Schwenckfeldianæ doctrinæ & personæ fautorem se prodidit. vid. Arnoldi Hist. T. I. P. II. p. 256. qui Acta ejus se legisse affirmat; quod autem illa in supplementis suis non edidit, Siderocratem non usque adeò insontem fuisse haud vano indicio esse queat. Natus etat Brettæ Palat. Inf. d. 28. Sept. Anno 1534. A. ætatis 19. Magister renunciatus fuit Witebergæ à Philippo Melanchthone. Anno 1556. Witebergâ Tubingam evocatus mathematum professionem suscepit & medicinæ operam dedit, ut Anno 1564. Doctor fuerit creatus in frequenti panegyri, quâ 14. Viris eruditis doctorei honores collati sunt. Anno 1566. juramentum supra dictum approbare detrectavit. Itaque Anno 1567. à Carolo, Marchione Badensi expetitus Academiâ discessit; post Electori Coloniensi, tandem Archi-Episcopis Argentinensi & Spirensi à curâ valetudinis fuit. Obiit Brussellæ. d. 28. Febr. 1585.

ætatis 51. Mundi gloriam non cupivisse, sed mundo mortuum & crucifixum in humilitate vitam finiisse testimonium quidem tulit, sed à Jeremia Eilenmengero, Reip. Heilbronnensis Medico, adeoque vel filio proprio, vel proximâ consanguinitate ei conjuncto, quod domesticum nimis esse, neque D. Jacobo Andreæ, vel Schwenckfeldianis præjudicium creare posse in bonum malumve, manifestum est. Unde frustra de testimonio gloriatur Arnoldus. l. cit. conf. Melch. Adami in Vitis Medic. p. m. 114. seq. & ex eo P. Freherus Theatr. Viror. p. m. 1284. Edidit inter alia Cyclopædiam Paracelsico-Christianam s. Drey Bücher von dem Ursprung der freyen Künsten/ An. 1585. 4. Authoris Anonymi, quem Ægidium Guttmannum esse in exemplari vetusto inveni.

Majus periculum Schwenckfeldianismus excitavit Halæ Suevorum, Imperii Civitate, tametsi author turbarum Schwenckfeldii doctrinâ se imbutum pernegaverit. Cum tamen ad ejus castra inclinare ab aliis judicatus fuerit, huc referendum esse, licet paucis, existimamus. Fuit ibi Anno 1601. Johannes Schneccius, Diaconus in templo minori primum, deinde cum Auditorum numerus subinde cresceret, in præcipuum translatus, ut eò felicius ædificatio succederet. Erat tum Ministerii Hallensis Senior, *Johannes Weidnerus*, qui propositiones nonnullas nimis duras ex ore Collegæ audiens Virum de iis admonuit, quas cum defendere sustineret ille, deinceps calamo exceptas communicato cum reliquis Ministris consilio ad Senatum detulit. Itaque purgandi sui causâ citatus nonnullas ex præfatis

propo-

propositionibus, quarum 30. erant, negavit, alias defendit, alias dextrè explicare scripto conatus est. Cum nondum acquiescerent Collegæ, sed scriptum contrarium opponerent, Apologiam adornavit *non nihil* amarulentam, eos non Christianè (als Un-Christen/) secum agere causatus. Senatus igitur consilia passim requirit præsertim à Consistorio Stuttgardiano, ab Academiâ Tubingensi & Ministerio Ulmensi (hæc enim ipse tantum vidi;) Antequam illa rescisceret Halenses, differebantur enim usque dum omnes circumstantiæ ab aliis etiam ediscerentur, (etenim quæstiones, ad quas responderi sibi desiderabat Senatus, Syndici Hallensis operâ, omnes in favorem J. Schneccii manifestè fuerant conceptæ;) Schneccius cum Joh. Weidnero & duobus Senatorii ordinis Stuttgardiam ablegatur, ut coram Consistorio doctrinæ suæ rationem redderet in præsentiâ summorum Consiliariorum è Politicis. Examinatus de propositionibus à Joh. Magiro, Præposito, Felicè Bidembachio, Conc. Aulico, Daniele Schrötlino, Antistite Cathedrali, Erasmo Grünningero, Eccles. Aulico, nec non Stephano Gerlachio & Matthia Hafenreffero, Theol. Profess. Tubingâ accitis, post unam & alteram exceptionem omnia resorbuit & se ab istiusmodi propositionibus abstinere velle promisit. Halam igitur remissus ex consilio, quod jam ante illius adventum in Curia Stuttgardianâ expeditum erat, à prænominatis Theologis in officio retineri posse judicatur. Cum autem fama in civitate percrebesceret, eum recantâsse, Syndicus ille, qui Johannes Schulerus erat, antehâc Cancellarius Wirtembergicus, Schneccio, quo confessiona-

rio utebatur, frigidam ſuffundit, & conſiliũ Wirtembergicorum traducit; Unde Schneccius ad priſtinam mentem reverſus, & propoſitiones ſuas, (quas extravagantes, exceſſivas periculoſas & verbo Dei non conformes pronunciaverant dicti Theologi,) acrius quam antea urgere incipiens cum Felice Grætero, quem in partes ſuas pertraxerat, dimiſſus eſt. Quo facto tumultus civium contra J. Schulerum totumque Senatum coortus primo quidem à Conſiliariis tam Eccleſiaſticis, quam Politicis à Wirtembergiæ Duce miſſis in Eccleſiâ quidem ceſſavit. In politia vero non niſi Cæſareâ Commiſſione, quam J. C ab Engelshoven Conſiliarius Wirtembergicus, plurimum adjuvit, ſedari potuit. Tantum propter anguſtiam temporis hâc vice.

De Roſeæ Crucis fratribus & J. V. Andreæ.

CRucem vel doctiſſimis hodiè figit hiſtoria fratrum roſeæ crucis. Aliis veram ſectam; aliis merum quorundam doctorum ludibrium fuiſſe affirmantibus. Quod poſterius magno conatu è F. Brecklingii aliorumque Manuſcriptis demonſtrare contendit G. Arnoldus, (a) J. V. Andreæ, Theologum noſtratem famâ florentem pro Authore fraternitatis venditans, cui pollicem premunt viri non indocti, aliis ſtrenuè viciſſim contradicentibus, nimirum Domino D. Salomon. Cypriani, Viro celebratiſſimo, Domino Val. Lœſchero & B. Carolo. Qui-

(a) *Hiſt. Hæret. T. I. P. II. cap. 18.*

Quibus vindicias pro Arnoldo opponere satagit aliquis è Clientibus ejus in der Hist. Betracht. P. II. num. 97. III. num. 40. IV. num. 137. seq. F. Brecklingius triginta Pastores in Ducatu Wirtembergico eam societatem inchoâsse tradit. Quamvis autem ejus longævitatem jactet Arnoldianus defensor, negare tamen haud potest: Brecklingium illis rebus coævum haud esse; adeoque ex aliorum relatione hausit, quæcunque de Rosæcrucianis fratribus memoriæ prodidit. Tria autem circa hanc materiam veniunt consideranda: Primò: Num Joh. Val. Andreæ fraternitatis ejus Author fuerit? Deinde: Num ad minimum arcani fuerit conscius? Tertiò: Utrum Secta Rosæcruciorum sive à J. V. Andreæ, sive ab alio suam trahat originem, ens tantum chimæricum, an vera & peculiaris Secta fuerit? Quæ paucis expediemus. Et primò quidem J. V. Andream societatis ejus autorem, vel saltim inter primos authores fuisse negamus. Etenim (1) de fraternitate roseæ Crucis jamdum Seculo superiore (XVI.) fama percrebuit, prout testatur Daniel Morhofius, in Historiâ literariâ omnis generis versatissimus. Polyhist. Liter. Lib. I. cap. III. §. 34. qui ejus liber jam Anno 1688. in 4. Lubecæ est editus, adeoque Sec. XVI. intelligi ab authore planum est. Valentinus Andreæ verò seculo illo etiamnum erat puer, Anno 1586. quippe natus. Liber itaque qui Fama fraternitatis inscribitur, non potuit ab eo concinnari, nedum societas ipsa erigi. Porro (2) Val. Andreæ Vitam suam accuratè descripsit in usum nepotum, in quâ nihil planè illorum, quæ perpessus est, dissimulat, sed ingenuè fatetur quod libertas animi, linguæ at-

que judicii sui multos pupugerit, adeò ut nonnullis nec religionis, quam ab omni vita professus ingenuè sit, Lutheranæ fidem fecerit, ac sub æmulationum, suspicionum, cavillationum & simultatum fasce obrutus diu delituerit. Imprimis quod nonnullorum odium incurrerit defensione B. Arndii, quodque ab aliis Calixtinismi fuerit accusatus. At verò Authorem Rosæcruciorum à quoquam fuisse habitum, ne verbulo quidem meminit. Imo in Confessione suâ, cujus SS. Triadem ejusque immaculatam sponsam Ecclesiam testem invocat: Se Rosæcrucianam fabulam semper risisse & curiositatis fraterculos insectatum esse asseverat. In eâdem vitâ recenset (3) omnia sua scripta, tum edita, tum inedita quæ composuerat unquam, eaque juxta seriem annorum cum occasione & eventu; Famæ autem Rosæcrucianæ ne vestigium quidem ullum comparet. Quartò (4) Simon Studion, sese membrum cruciferæ militiæ jamdum professus erat Anno 1604. quo senex 61. annorum fuit. Hunc igitur Rosæcrucianæ fraternitati insertum esse, antequam Valentinus Andreæ adolesceret, adeòque diu ante majorennitatem ejus collegium illud coaluisse apparet. Denique (5) rationes omnes, quas pro affirmativa G. Arnoldus & parastata protulere, non concludunt. Nam (α) Michaël Brelerus Val. Andreæ pro authore famæ fraternitatis non salutat, sed eam tribus Germaniæ Theologis adscribit; At eos longè alios esse quam Wirtebergicos tàm facilè hinc colligi potest, quam facilè Arnoldus Andream inter eos subinnui putat. Secundò (β) licet Valentinus Andreæ, turrim Babel,

sive

ſive judiciorum de fraternitate roſeæ crucis chaos ediderit, ex toto tamen libello, quem ſæpiſſimè ſtudiosè perlegimus, non plus conſpicitur, quam quod ipſe rem totam habuerit pro fabulâ, ſeu impoſturâ. Atqui idem cum eo ſenſere & alii, teſte Morhoſio, neque tamen ideò pro authoribus ipſius fabulæ habentur. Quod verò tantâ fiduciâ famam, quaſi hactenus orbi univerſo iſtâ ſocietate illuſiſſet, loquentem introducit in Epilogo, ingenio Viri attribuendum eſt, quod perquam aptè vera ſub ſchemate fictitio repræſentare ſolebat. Unde ſcripta illius præſertim mythologica lectorem requirunt prudentem & attentum. Et ſanè ipſe Dominus Arnoldus non ubivis mentem viri penetravit; ſcribit namque P. III. Hiſt. Hæret. c. 8 p. m. 83. Val. Andream Thomam Campanellam laudâſſe, ut inſignem artificem, qui machinam ingenioſam & mirabilem, in quo Solis motus accuratè repræſentatus fuerit, Philippo II. Hiſpaniarum Regi obtulerit. Enimverò, qui mythologum Valentini curatius conſiderat, deprehendet nequaquam de opere aliquo fabrefacto loqui Andream, ſed Conſilia illa, quæ Th. Campanella de univerſali Monarchiâ in Europæ dominio erigendâ Regi ſuo ſubminiſtraverat, intellexiſſe, quæ per apologum velut αυτομα quoddam, Monarchicum, prout ipſe appellat, deſcribit, Morphei penicillo (hoc eſt ſuavibus ſomniis, aut phantaſiâ,) variè pictum, quod cum ad Magnum Mundi Monarcham Albani & ſimilium Miniſterio deferretur, cum importunum mare Anglicum (in quo ſcil. Claſſis illa invincibilis periit,) vix evaſiſſet, neſcio, quo infelici caſu rhedâ, quâ veheba-

tur, in medio Belgii (propter ejus defectionem) corruerit, opusque inæstimabilis pretii (Monarchiam nempe universalem) perfregerit. Quâ Ministrorum negligentiâ supra modum irritatus Philippus, cum frustra occidui orbis artifices implorâsset, justo dolori decentique pudori indulgens tandem in summi artificis Dei sapientissimâ machinâ (ejus nempe directione) acquieverit. vid. Apolog. Manip. pag. 10. Hæc ideò monere voluimus, ut Lectorem apologis J. Val. Andreæ facilè falli posse, neque adversarios usque adeò lynceos in scriptis ejus esse, ut mysterium, de fraternitatis rosaceæ vero authore, quod per años bene multos omnium ordinum eruditos latuit, ex libellis Andreæ demum eruisse credi possint. Provocat quidem Domini Arnoldi defensor ad paritatem styli, quæ in famâ fraternitatis & reliquis Andreæ scriptis ex collatione patefiat; Enimverò & stylum quosdam ita adornâsse, ut vel doctissimis imposuerint, eruditis est notissimum exemplo Mureti, qui Josepho Scaligero, epigrammate, quod ipse scripserat, pro antiquo venditato imposuit. Et Carolus Sigonius sub nomine Ciceronis consolationem de obitu filiæ Anno 1583. eâ styli affinitate in lucem protulit, ut viri non indocti inter se certarent & tanquam Ciceronis fœtum defenderent, donec Justus Lipsius ei larvam detraheret. vid. Morhof. l. c. p. m 86. Dominus Struvius in Dissert. de doctis Impostoribus p. m. 56. Itaque Valentinum Andreæ fraternitatisRosæ Cruciorum Authorem fuisse nullo firmo argumento hactenus evinci potest. Num verò conscius fuerit factus secreti ab alio profecti? nec affirmare pro certo, nec tamen

men prorſus negare ſuſtineam. Si conjecturis locus foret, dicerem Ægidium Gutmannum ejus ſocietatis fuiſſe Authorem, eamque jamdum circa Annum 1593. clanculum viguiſſe. Annis autem ſequentibus demum ab homine philodoxo aut ſecreti malè tenaci propalatam. Valentinum verò, qui longinqua itinera adiit, omnemque ferè Germaniam, Galliam & Italiam peragravit, in unum alterumve ex iſto Collegio incidiſſe, qui rem totam ordine panderet. Sed hæc parum important. Majoris momenti quæſtio eſt: Num Roſæcrucii revera fuerint ſectarii, an mera Doctorum fabula? Nos aliquid fabuloſi ſubeſſe haud equidem diffitemur, præſertim quæ de Patriarcha ſuo ſcripſere, quæ manifeſtum Romanenſem (Romam) ſapiunt. Fuiſſe tamen illius ſocietatis fratres principiis heterodoxis ex parte imbutos, dubitare nequeunt, qui chiliasmum, viſiones & revelationes Angelicas eos jactâſſe nôrunt. Memini me aliquando in diſſert. de Chiliasmo à Conrado Dieterico hab. legiſſe, quod Roſæcrucii jam Anno 1604. adventum Chriſti ad regnum chiliaſticum ex numeris demonſtratum iverint. Et Morhofius quoque teſtatur inter Roſæcrucios tractatus à Joh. Heidone Anglo editos unum hoc titulo eſſe: Infallibilia axiomata Fratrum Roſeæ Crucis cognoſcendi præterita, præſentia & futura, In quo non niſi de mirabili vi & poteſtate numerorum, quibus evocentur genii & alia occulta in naturâ perficiantur, agatur. Sed pleraque ex illis è Scriptoribus de myſteriis numerorum eſſe congeſta. Quæ omnia apprimè conveniunt cum viri ſupradicti hiſtoriâ. Eſt is

SIMON

SIMON STUDION, olim Præceptor Marpacensis, in oppido Uraco Ducatus Wirtembergici ad amnem Eremisum sito natus d. 6. Martii, intra horam 6. & 7. matutinam Anno 1543. quem annum summè mysticum putavit, seque virum illum Ezech. 9. linteis indutum & atramentario instructum professus est, eâ de causâ, quia numerum characteristicum & annum hujus Viri 1543. esse sine controversia repererit. Ingenii dotes in scholis claustralibus & stipendio Illustri jugiter excoluit, Arithmetices, præsertim mysticæ, quam Naometricam vocat, impendio studiosus, quo ipso tamen, uti fatetur, rerum suarum dispendium fecit. An. 1593. d. 24. Martii, utpote primo die azymorum, quem observavit, primum Naometrici laboris specimen protulit, in Curiam d. 15. Januarii ejusdem anni à Ludovico Wirtembergiæ Duce citatus, ut ea, quæ in opere suo contra Papatum collegerat, secum apportaret & quid fieri oporteat audiret. Ab eo tempore miserrimè se ab inimicis exagitatum conqueritur. De cætero, quia de futuris vaticinabatur, idque ex numeris, domum remissus inceptum opus absolvit Anno 1604. cujus hic est titulus:

Naometria, seu nuda primi libri intus & foris scripti per clavem Davidis, & calamum virgæ similem apertio: in quo non tantum ad cognoscenda S. Scripturæ totius: quam *naturæ quoque universæ mysteria* brevis fit introductio: Verum etiam prognosticωs (stellæ illius matutinæ Anno Domini 1572. conspectæ ductu)

ctu) demonstratur Adventus ille Christi ante diem novissimum secundus, per quem Homine peccati, Papa, cum filio suo perditionis Mahometo, divinitus devastato ipse Ecclesiam suam & principatus Mundi restaurabit, ut in iis posthâc sit cum ovili uno pastor unus. In *Cruciferæ militiæ* Evangelicæ gratiam. Authore *Simone Studione* inter Scorpiones. Pars Prior & Posterior. Inter collocutores Nathanaël: Cleophas. Anno 1604. in 4. Manuscriptum.

Inscriptus est liber Illustrissimo Principi ac Domino Domino Friderico, Wirtembergiæ Duci, &c. In eo omnia mysteria, quæ in S. Scripturâ præsertim Ezechiele, Daniele & Apocalypsi leguntur, per numeros mirè explicare conatur & omninò Prophetam agere præsumit; falsus autem fuit in tribus præcipuis; quando nimirum, ultimum Papam Anno 1612. crucifixum iri; interque crucifixores ejus Fridericum Wirtembergiæ Ducem, (qui jam Anno 1608. vivis excessit,) futurum; denique adventum Christi ad regnum Chiliasticum circa An. 1620. iri impletum vanissimè ex numeris suis, non sine ingenti parrhesiâ, collegit. Præfixum est ab aliâ manu carmen in studium Naometricum opus Studionis summopere commendans:

En! Studionæi succinctum lemma laboris
Unde Dei mirè mystica sacra patent.
Aspice livor iners & contabesce videndo
Mirari poteris, non reprobare potes.

Non

Non est humani inventum subtile cerebri,
Ast agitante Deo tale movetur opus.
Est opus hoc sacrum, quod multis tædia mentis
Lassatæ tollit, fessaque membra levat.

Additum est aliud ab ipso, ut videtur, Studione.

Sum Nova Stella Dei priscis cantata Prophetis
Sæpè: malis omen triste, bonisque salus
Luce meâ soli, Lunæ, stellisque tenebras
Inducam, quæ nunc in Babylone micant.

Inter alia notamina quæ margini adjecit etiam hoc est: Naometriam impios non intelligere, quod se seraphicis & capitosis doctoribus Ecclesiæ & naometriæ divinæ subsannatoribus dictum velle asserit, de cætero gloriatur, se intelligere librum intus & foris scriptum Apoc. 5.

Hæc ideo prolixius recensere placuit, ut vera fraternitatis roseæ crucis origo sensim queat indagari, ubi probè notandum, quod J. Val. Andreæ hunc ipsum Studionem inter homines insolitæ eruditionis, quorum diversos ex societate Rosæcruciorum fuisse constat, numeret. Integer apologus ita se habet: Azoth ille (lapis philosophicus) quocunque tandem inter nos nomine appellitetur,) orbis monarcha apud nos aureo curru eoque radiante ingressus haud paucos *insolitæ eruditionis homines* secum attulit, quibus hi pauci ac vix nomine nostris innotuerunt Paulus Scalichius, Jac. Brocardus, Paulus Lautensaccus, *Julius Sperber*, Valentinus Weigelius, *Ægidius Gutmannus*, Heinricus Cunradus, Sebastianus Franck, Guilielmus Postellus, Martinus Cellarius, *Simon Studion*, reliqui etiamnum nobis conciliancilian-

ciliandi. Iis ajunt datum res noſtras *omnes medicare*, auritos nos, oculatos, vocales *volatilesque* facere. Et tamen aliquid, quod felicitatem noſtram impediat, quoniam non illi nos, non nos illos intelligimus. Nam quæ illorum eſt Perſica, Chaldaica, Brachmannica, Druidica, Feſſana, Damcarica lingua, quæ picturæ ſunt divinationes, triplicitates & paradoxa, eæ haud prius vitam nobis reformabant, quam artis terminos capiamus. vid. Mytohol. Manip. III. p. 137.

Patet hinc fraternitatem roſeæ crucis tàm certo ſectam aliquam licet occultam fuiſſe, quam certum eſt Sperberum, Gutmannum & Studionem in rerum naturâ fuiſſe. Conferantur Ægidii Gutmanni ſcripta cum reliquorum, qui ejus ſocietatis fuiſſe perhibentur, libris, & paria utrimque principia deprehendentur. Derogamus igitur Valentino Andreæ ex his argumentis ſcripta illa de fraternitate crucis roſeæ, quorum nonnulla in catalogum libellorum ejus non tam per incuriam, quam quia ab aliis ei adſcripta erant, ſunt relata. Et ſanè ſi vel eorum author reâpſe foret, nondum tamen Roſæcrucianæ ſectæ exiſtentia ideò poſſet negari. Poteſt enim aliquis tametſi pius & in doctrinâ ſincerus, imprudenti dicto vel facto anſam præbere aliis, ut in hæreſin prolabantur. Sic hodienum dubitatur: Utrum Nicolaus Diaconus deteſtandæ Nicolaitarum hæreſeos author deliberatus fuerit, necne? Dicto tamen ſuo minus cauto: Utendum eſſe carne, vel ut alii habent, fruendum, occaſionem iſtorum ſceleribus dediſſe apud Scriptores Eccleſiaſticos in confeſſo eſt, quorum nemo unquam hæreſin Nicolaitarum

rum extitiſſe in dubium vocavit, tametſi Nicolaum de cætero abſolveret. conferatur inſtar omnium Magnif. Dominus D. Ittigius de Hæreſiarchis cap. 1. cap. 9. Hiſt. Gothan. P. II. p. 212. Lucas Oſiander Cent. I. p. 148. Cent Magdeb. l. 2. c. 5. p. 485. ex Pontificiis Joh. Lorinus Comment. in Acta Apoſt. cap. 6. Baronius & qui ex profeſſo multis argumentis Nicolaum defendit & contrariam refutat Natalis Alexander Sel. Hiſt. Eccl. Sec. I. ex Reformatis Spanhemius p. 291. & Rainoldus, Theol. Anglus in Cenſur. Libr. Apocryph. V. T. pag. 1168. Sed non opus eſt ut eò dilabamur, cum innocentia Val. Andreæ ex adductis etiamnum conſtet.

Ad Part. II.

De Johanne Keilio, Impoſtore Gerlingenſi.

NUllas eſſe tam deformes buccas, quæ ſuos non reperiant baſiatores; Neque dari tam atrox facinus, quod ſuos non habeat defenſores, Johannis Keilii, Vinitoris & Pſeudoprophetæ Gärlingenſis exemplum comprobat. Quamvis enim jamdudum ille impoſturæ luculenter ſit convictus; Non tamen deeſſe, qui vel ex præpoſtero Enthuſiasmi amore, vel ex odio adverſus Evangelii Miniſtros, præſtigias ejus quovis modo exculpatum eant, G. Arnoldus & illius aſſecla condocefaciunt. Quorum ille Keilium in Catalogum ſuorum (ſi Diis placet,) Prophetarum referre non dubitavit. Iſte verò vindi-

vindicatam à B. Carolo evidentibus argumentis veritatem denuò ſolicitare non erubeſcit. Proteſtatur equidem Arnoldum rem eam pro divinâ non habere. At ſi pro divinâ non agnoſcit, fateri neceſſum habet Keilium fuiſſe vel impoſtorem, vel Diabolicum præſtigiatorem, adeoque ſuo merito pœnas dediſſe? Deinde, ſi pro divinâ non agnoſcit eam? cur omnia, quæ B. Carolus adduxit argumenta, luxare conatur hyperaſpiſtes? Nonne hæc proteſtatio eſt contraria facto? Sed agedum, audiamus, quid in contrarium excipiat Arnoldi defenſor. Provocat primò ad ſcriptores coævos, qui hæc de Keilio retulerint. Illi ſunt Tobias Wagnerus, J. V. Andreæ, Melchior Sylveſter Eckhardus & M. Hiemer, Paſtor Heilbronnenſis. Tres priores fuere teſtes in viciniâ & actorum cum Keilio αὐτόπται, præſertim D Andreæ, quem ſæpenumerò laudant D. Spenerus & Arnoldus ipſe. Hiemerus erat tantum auritus. Pluris verò eſt unus oculatus, vel quaſi, quam auriti decem. Tres illi boni & cordati Viri impoſturam Keilii affirmant partim ex propriâ ejus confeſſione, quam Val. Andreæ ſuis auribus audivit, partim ex ipſius Principis ore. Wagnerus verò & Eckhardus didicerant ex Actis. Unde M. Hiemerum re nondum explorata judicium præcipitâſſe luce clarius eſt. Quid hic Caroli antagoniſta? Reſpondet: Hiemerum judicium ſuum non revocâſſe. Sed quid inde? Nicephorus Calliſtus, Jacobus de Voragine, Annius Viterbienſis multas retulere fabulas, & G. Arnoldus non pauca falſa ſcripſit? Neque ullus eorum retractavit? Num ideò, quæ hic & iſte & illi memorant, pro veris ſunt habenda? Ur-

get adverſarius: Scriptorem anonymum prodidiſſe, quod Keilius ſanguinem è naribus elicuerit. (a) Sed num tanta ſanguinis copia è naſo emungi queat, ut eo propè tercentum palmites potuerint tingi, ſuo loco relinquendum, adeoque incertum pronunciat. Enim verò ut taceamus, id quidem prorſus impoſſibile non eſſe, quid opus eſt de modo inquirere, ubi facinus eſt in confeſſo? Narciſſus Schwelinus disertè teſtatur: **Er habe die Reben mit Blut beſtrichen.** Hoc utique ſufficit ad probationem præſtigii, tametſi non omnem telam impoſturæ quis cognoverit. Val Andreæ in Vitâ Manuſcripta ea, quæ in Selenianis ſcripſerat, ſequentibus repetit. Fabulam interea magno plauſu d. 4. & 7. Febr. An. 1648. egit Johannes Keilius, Geerlingenſis, homo *protervus*, apparitionem Angeli geminam *mentitus* & *quinis* vitibus cruentatis præſtigias faciens pluribusque non obeſæ naris ob diras, quas minabatur, imponens, qui ſæpius examinatus & auditus, cum lubricè ageret, in vincula conjectus, virgis cæſus d. 23. Septembris & ejectus, viſu terrorem & *abſurda* multorum judicia finiit. Hactenus ille. Ex quibus diſpaleſcit, primo quinas tantum vites ſanguine imbutas fuiſſe; tametſi plures eſſent palmites; at hoc ex ſtillicidio narium fieri proclive eſt. Deinde protractam eſſe rem ultra dimidium annum & impoſtorem ſæpius examinatum, adeoque ſufficientiſſimè auditum. Denique abſurda fuiſſe judicia multorum, quale fortean & M. Himeri. Pergit verò Keilii Patronus ex Arnoldo, ut præſumtiones faciat pro innocentiâ Keilii: Eum fuiſſe hominem ſimpli-

(a) Unſchuld. Nachricht. *An. 1703. p. 260.*

simplicem Eckhardo, imò pium D. Spenero teste. (b) Sed ubinam locorum Eckhardus eum vocavit simplicem? In meo exemplari tantum vocatur vir nec arare nec natare doctus, hoc est, idiota & omnis artis honestioris expers. E contra Valentino Andreæ qui examini interfuit, & aliâs Viros ab aliis non laudatos prædicavit, expressè audit Vir minimè simplex. (c) Cur ergò Arnoldus non Andreæ potius, quam Eckhardi verba citavit, nempe, quia Clienti suo larvam simpliciter detrahunt. Sub ista verò proverbiali locutione facilius erat fucum facere & terminis ludere. Quod autem D. Spenerus Keilium pium appellat, probatione omnino eget, id ex vero esse. Quomodo namque pius esse potuit, qui scelerate impium impostorem egit? Num pietatis est: mentiri, nomen Dei in vanum ducere, Angelis injuriam facere, proximo imponere & Principibus illudere velle? Quis non detestetur tàm infamem infandamque pietatem. Præterea etiam aliorum scelerum suspectum fuisse testantur, Unschuld. Nachricht. p. 261. Nondum acquiescit B. Caroli adversarius, quin culpam omnem injuriæ (scil.) Keilio illatæ devolvat in Theologos. Eos omnia putat direxisse. At enim, præterquam quod istiusmodi examina non pertineant ad Theologos tantum, verum ad Senatum Justitiæ, qui Stuttgardiæ multis membris è Politicorum ordine constat, quibus in istiusmodi casu non nisi unus Theologus interesse solet, utique ex racemationibus (d) Taboris

(b) *Consil. Theol. P. I. *p. 237.*

(c) *Selen. August. p. m. 426.*

(d) *Definit. Crim. tit. de Crim. Stellion. p. 18. seq.*

ris JCti Argentinensis, demonstraverat Carolus non Theologos, sed Politicos sententiam tulisse. Docuerat præterea ex Swelino (c) ipsummet Principem cum Serenissimâ conjuge Keilium examinâsse & fraudem primum deprehendisse. Nihilominus suis inhæret præjudiciis Arnoldus ejusque advocatus, (Sie bleiben auf ihren fünff Augen) quâ fronte? quo jure? quâ charitate & pietate? judicant alii. Bardi sanè non sunt Principes, qui absque Theologorum præsentia dolos & fraudes animadvertere nequeant etiam in rebus obscuris, uti adversarius existimat. Quod vero impostor minis territus & per quæstionem extorquendus dicebatur à D. Andreæ, id ipsum argumento est, quam non simplex fuerit, sed versutus & ad agendam personam, quam induerat, perquam idoneus. Tandem, ut compendio rem expediret Arnoldi Cliens, an Patronus, rejicit omnia Concionatorum testimonia, etiamsi longè plura forent, utpote invalida & ex partium studio promanantia. Atat B. Carolus non ex concionatoribus tantum sua demonstravit, sed etiam ex politicis, v. g. Narcisso Schwelino, qui erat Cameralis (Rechen-Bancks-Rath) & ex D. Taborio, qui fuit Jure Consultus. Quod si omnia Præconum Verbi testimonia pro infirmis habet, cur solius Hiemeri Pastoris Heilbronnensis malè informati de re totâ præceps judicium allegare sustinet? Seponamus Wagneri, Andreæ & Eckhardi testimonia & vicissim rejiciamus Hiemeri asserta. Unde postea probabit Arnoldus innocentiam Keilii? Apparet igitur, quam non sincerâ & à partium studio

(c) Kl. Würtemb. Kronick. p. 490. 491.

dio liberâ mente historiam suam adornaverit Arnoldus, qui universa Virorum, quos partim ipse laudat, (ubi scil. ejus inserviunt causæ,) testimonia rejicere non dubitat, quo pseudoprophetis queat patrocinari. Itaque ut erubescere tandem discant adversarii, remittimus eos ad Pantheon Anabaptisticum (f) & ad subsequens Celsissimi ac sapientissimi Ducis Eberhardi III. mandatum, non ex Consistorio sed intimo Consilio profectum & in omnibus Ecclesiis totius Ducatus Wirtembergici è suggestu promulgatum, quod instar omnium actorum esse potest, quorum editionem hyperaspistes efflagitat. Atque utinam non hæc tantum Keilii, verum etiam veterum Anabaptistarum & modernorum Fanaticorum Acta ederentur, antequam vel intercidere queant, vel ab infidâ manu corrumpi? Id certè non exiguo Evangelicæ Ecclesiæ emolumento cessurum & innocentiam Wirtembergensium Theologorum egregiè illustraturum nulli dubitamus. Tantum de Impostore Gerlingensi, de quo videantur Authores citati, cum Caroli Innoc. Wirtemb. pag. 42. seqq.

Von GOttes Gnaden / Eberhard / Hertzog von Würtemberg / ꝛc.

UNsern Gruß zuvor / Ersamer / Lieber Getreuer / demnach Wir mit sonderba-

(f) *Tom. I. p. 77. seq.*

derbarem Befrembden und ungnädigem Mißfallen / von unterschiedlichen Orten hero vernehmen müssen / was gestalten / wegen deren von Hannß Keyhlen zu Göhrlingen / Löwenberger-Ambts / vorgegebenen Visionen und Erscheinungen / auch außgesprengten / an den Reben im Weingartt / vermeyntlich befundenen Blut-Zeichen / nicht allein unterschiedliche Schrifften und Lieder / in offentlichen Truck / (welche bereits confiscirt worden /) außgangen / sondern auch von denn Unterthanen insgemein / sonderlich aber unter dem gemeinen Mann allerhand widrige / und theils sehr nachdenckliche gefähr- und unverantwortliche unbegründete Discurs und Geschwätz geführt werden / da doch hingegen ermeldter Hanß Keyhlen nunmehr so schrifft- so mündlich flehentlich deprecirt / und um Gnad gebetten / auch benebens solch seines vorgegebenen Ungrunds / Betrug und Unrecht von selbsten bekennet. Als ist hiemit Unser gnädig- und zumalen ernstlicher Befehl / Ihr sollet Euere Untergebene Amts-Angehörige / in Stadt und Ambt / auch zu mehrer Wissenschafft auf den Cantzeln ohneingestellt / angelegenen Fleisses verwarnen / daß Sie Sich wegen solcher vermeynten Erscheinungen / Wunder-Zeichen / und selbst gemachten Wunder-Wercks / aller Discurs und unnöthiger Gespräch gäntzlich enthalten / und hingegen auf GOttes offenbahrtes Wort sehen solten.

Dafern

Dafern sich aber über beschehenes Abmahnen einer oder der ander weiters darwider solte betretten lassen / Selbige bey dem Kopff nehmen / darüber examiniren / und unterthänig berichten / der Straffe halber uns ferners haben zu resolviren / dessen beschicht Unser Meynung / Stuttgardt / den 14. April. An. 1648.

Ex Speciali Mandato Serenissimi Domini Ducis.

Dem Ersamen / unserm Speciali auch Vogten zu Stuttgardten / und Lieben / Getreuen / N. N.

De B. Tobia Wagnero.

§. 17.

HAnc relationem innocentiam Tobiæ Wagneri à B. Carolo satis superque vindicatam, contra nuperas Arnoldiani exceptiones confirmaturam confidimus. Absurdus verò est Arnoldi defensor, quando B. Wagnero invidiam conflare vult eâ ex ratione, quod Georgium Rostium B. Arndii antagonistam vocaverit Theologum celeberrimum quasi vero omnis, qui Rostio vel L. Osiandro meritas tribuit laudes illico sit B. Arndii hostis. Aut quasi

omnes illi pii forent, qui B. Arndium laudant, & vicissim impii, qui aliqua in eo desiderant. Honorem Wagneri ex superabundanti vindicet Epistola D. Reinhardi.

Pacem & Gaudium in Spiritu Sancto!

Maximè Reverende, Amplissime atque Excellentissime Domine Fautor, Patrone ac Pater in Christo magnoperè dilecte & Honoratissime!

QUod carissimum donum pollicebantur, quas 23. Januario dabatis, quodque summo expectabam desiderio, illud dulces comites Epistolici, quos ablegastis 22. Mart. nundinis Paschalibus nuperioribus inter gaudia mea & triumphos, quos sacros vobis de victis Irenicis Strophis nuncupo, uberrimè & ultra mea merita exhibuere. Insignes vigiliæ, quibus statis & militatis pro sinceritate orthodoxiæ & credo conquassatum à vestro tàm arduo & elimatissimo labore cerebrum versipellis Sathanæ, ut hiscere adversus tantam dexteritatem non sit ausurus, vel si quid conatus evanescentia ex pelvi fulgura cum ingenti suo damno regnique sui majori interitu experturus. Exoptatissimum Scriptum maximè veneror, & gratias non saltem egomet ago, quam pluri-

plurimas, ſed & precor, ut honeſtiſſima devotione agnoſcat has ſacras veſtras inſomnesque noctes Totus orbis Chriſtianus, imo votis, precibus, omnique gratitudinis viâ ſolvat, quod maximè debet. In ſinum veſtrum hoc unicè devolvo. Placuiſſet Dn. Witebergenſibus, ſi intactæ manſiſſent controverſiæ veteres, quæ inter Dominos Tubingenſes & Witebergenſes in cauſa Menzeriana *(mihi nunquam grata)* interceſſere. Sed nec iſta vosmet afficiant..

Credat Pl. Rev. Veſtra Excellentia ſe ſinceriſſimo à me amari modo & in felicitate mea poni, ſi quicquid derivari ad vos redhoſtimenti queat, pro tantâ veſtrâ fiduciâ tamque Paterno amore. Nihil proficiſci à vobis poteſt, quod non amplector, quod non admiror, pro quo non precor æternas DEI Benedictiones. Spero tanti Monitoris placita debito modo veneraturum Cognatum meum Dn. Geroldum, ut & ipſi, prout apprecor, æternum ſit bene. Si ingratitudinis teſſeram devolvi ad vos commodè poterit faſciculus, mittam & hinc aliquod Academicum Schediaſma, ex quo deproperata noſtra ſtudia tàm in Univerſitatis quam Eccleſiæ roſtro cognoſcatis.

Inter Miniſtros Noribergicos, (utinam eſſent omnes tales!) Dn. Joh. Ludovicum Hagendornium, inter Mercatores Dn. Melchiorem Langium, interpretem hactenus noſtrum, aut potius intermediatorem denomino, quorum ope commercia noſtra poterunt porrò feliciter vigere. Vale & vive,

Magnifice Dei Heros, Bono publico, Tuo, meoque. Morior in amore Tui Maximè Reverend. T. Amplitud.

Lipsiæ, ultim. Jun. An. 1666.

Observantissimus debitor

E. S. Reinhardt. D. Pastor Primarius ad D. Nic.

Magnifico, Maximè Reverendo, Amplissimo atque Excellentissimo Viro ac Domino, Domino Tobiæ Wagnero, Doctori Theologo Eminentissimo in Illustri Tubingensium Universitate & Professori Publico. longè Celeberrimo, Academiæ Cancellario, Domino Fautori, Amico & Patri meo in Christo JEsu magno & dilecto & deveneravdo.

De Böhmistis, præsertim Lud. Bronquellio & Joh Jacobo Zimmermanno.

NOmen subinde mutare sectas, nunquam opiniones, aut mentem, omnium seculorum historia confirmet. Idem factum est cum hæresi Schwenckfeldianorum & Rosæcruciorum, cum nomen utrumque obsolesceret, è radice illorum nova propullulavit soboles, Jacobus Böhmius, Sutor Görlicensis, qui non minus atque posteriores illi do-

ctorum

ctorum ingenia fatigavit. Judicium satis plausibile ab initio de eo tulit Cl. Morhofius, & scripta ejus ab homine literarum rudi adornari potuisse penè prodigio similis res ei visa est. vid. Polyhist. liter. Libr. I. c. 10. p. 64. de libris mysticis. Correxit tamen seipsum Morhofius in Polyhistore Philosoph. Tom. II. libr. II. c. 3. p. 174. ubi Böhmium in Mysterio suo magno Theologica, Physica & Chymica mire inter se miscuisse atque ex iis Enthusiasticam quandam Philosophiam, velut Chaos quoddam condidisse, » & principia ejus farraginem quasi quandam Vete- » rum hæresium exhibere affirmat. Fatetur ta- » men judicium de Böhmio instituere difficile esse. » Pium eum fuisse constat, (sunt ejus verba,) & I- » diotam & libri tamen, quos scribit, non omninò » rudem illum esse ostendunt, quanquam pleni sint » fanaticorum sensuum. Unde suspicio nonnullo- » rum est sub ejus nomine scripta fuisse edita, quod » tamen probari satis non potest. Instinctu numi- » nis se scripsisse ipse fatetur, ac fuerunt multi, qui » ejus Philosophiam & Theologiam ut cœlo lapsam » venerarentur Euthusiastæ. Hactenus ille. Henricus Morus celebris Anglus, mitius quoque de J. Böhmio judicium tulit, quod ad S. Scripturæ bilancem curatius expendit celeberrimus Theologus nostrâs, Dominus D. J. W. Jægerus, Academiæ Tubingensis Cancellarius perinclytus, in Examine Theol. Mysticæ Veteris & Novæ dissert. peculiari. pag. 402. seqq. quod instar omnium conferri meretur. Dominum D. Spenerum in causâ Sutoris τό ἐπέχειν adoptâsse notum est.

Primus autem inter Evangelicos Theologos & quidem noſtrates dijudicatione & refutatione ſcriptorum Böhmii glaciem fregit D. Tobias Wagnerus, qui etſi in citatione auroræ Felgenhauerianæ loco Böhmianæ hallucinatus fuerit, tituli identitate deceptus, attamen & faciliora eaque fatentibus Böhmiſtis, meliora Böhmii ſcripta ſimul examinavit, eorumque errores detexit. Quod ſi faciliora & meliora erroneis imbuta ſunt opinionibus, colligere omnino liceat in obſcurioribus non minus eos extare, prout legentibus patet. Præterea iisdem principiis in quam plurimis inſiſtunt Felgenhauerus & Böhmius. Secutus eſt B. Wagnerum improvido quidem pede Erasmus Franciſci in libro, quem (Gegen-Stern der Morgen-Röthe) inſcripſit, ſarcaſticè ideò exagitatus à Johanne Matthæi, in orthodoxiâ Theoſophiæ Böhmianæ. Cæteroquin non B Wagnerum ſolum, ſed & B. Abrahamum Caloviū, Theologum Witebergenſem ſum̄um, qui Anti-Böhmium edidit, Böhmiani ſuggillant, quod ſenio jam confecti ἀκριβείᾳ mentem Sutoris penetrandi & dextrè dijudicandi fuerint deſtituti. Sed gratulatur ſibi purior Eccleſia, quod uterque ſenex capularis & quaſi agonizans ultimam illo fidei & orthodoxiæ monumento confeſſionem doctrinæ ſuæ & judicium de Böhmio obſignavit. Deſiderari queant aliqua in illorum Anti-Böhmianis, quid tum? Sufficiat mentem ſuam de Sutoris erroribus candidè declarâſſe. Bos laſſus fortius figit pedem; Et pluris nobis eſt Theologi ſenis, pii ac ſinceri, labor ultimus, quam decem muſteorum opera, diffuſæ lectionis & eruditionis bullas & ampullas ſpirantia;

Wagne-

Wagnerus certè ſufficienter oſtendit duodecim pronunciatis, quid de Böhmianâ Theologiâ ſentiendum ſit. Idque in judicio propemtico Theolog. de Scriptis J. Böhmii Anno 1679. in 4. Tubingæ lato, Reſpondente, M. Joh. Friderico Röthero, tum Stipendiario, hodiè Paſtore (in Rohracker) Wirtembergico, cujus ſoror erat Adelheidis Sibylla Schwarzia, fanatica fœmina, quæ literas ad D. Auguſtum Pfeifferum dedit, quaſi à Deo ſibi dictatas; vid. Domini D. Feuſtkingii Gynæceum Fanatico Hæreticum p. m. 601. Ad eam Coloniam aut Lubecam, ubi tum habitabat, excurrere animus erat Röthero, edito antea ſpecimine Academico ſeſe commendaturo. Cumque ad partes Böhmianas inclinare illam in comperto eſſet, eam materiam vel B. Wagneri conſilio, vel aliorum inſtinctu elegit. Unde titulum author fecit Judicii propemtici. Demonſtrat autem pronuntiato I. πρῶτον ψεῦδος J. Böhmii eſſe falſam divinæ illuminationis (immediatæ ſcil.) jactationem II. Sutorem eſſe contemtorem articulorum fidei, III. Revelationes ejus eſſe obſcuras & intellectu ferè impoſſibiles; IV. & V. derogat ſcriptis ejus θεοπνευςίαν. VI. Böhmium eſſe contemtorem S. Scripturæ. VII. Scripturam habere tantum pro cortice & muto verbo, quod demum animandum ſit à Spiritu S. VIII. Atrociſſimis injuriis ordinarios Eccleſiæ Miniſtros proſcindere. IX. Principium Theol. Böhmianæ eſſe prodigioſam Theologiæ & Philoſophiæ imprimis Phyſicæ, Chemiæ & Aſtrologiæ commixtionem. X. Abſurditates, adverſus principia naturæ & Scripturæ venditare pro

myſte-

mysteriis immediatè sibi revelatis. XI. Böhmium esse religionis Schwenckfeldio-Weigelianæ, quorum authores admodum laudet. XII. Blaterare revelationum modos de Creatione, ac si fuisset αὐτόπτης, adeò, ut quis Mosen præ illo in descriptione Creationis vix pro Abcdario haberet. Porrò de pietate Böhmii, quam aliqui constare ajunt, tria annotat, nempe, fastum & superbiam, quam in nostris taxet & ipse superbissimus committat; disputacitatem, quam itidem in nostris culpet, ipse non à disputandi pruritu immunis. Denique defectum charitatis, de quo adversus nostros conqueratur, cum tamen ipse omnem charitatem erga ministros Ecclesiæ exuat. Tandem subjungit Quæstionem: Quomodo Böhmius homo rudis, illiteratus, mechanicus, præter elementa Alphabeti nullas literas in ullâ scholâ, aut gymnasio doctus, Corinthum navigare, hoc est, ad tantam rerum divinarum & humanarum cognitionem sine peculiari illiminatione pervenire potuerit? & respondet: Böhmio fuisse ingenii εὐφυΐαν naturalem; cognitionem tamen ejus esse confusam; multa hausisse ex lectione Theophrasti, Schwenckfeldii & Weigelii; Dari exempla eorum, qui nullis unquam in scholis eruditi, solo ingenii remigio libros in Chemiâ, Astrologiâ & Poësi ediderint. Ecstases verò illius attribuit raptui melancolico & addit: „Nolimus eum arguere Spiritus istius Sacramentarii, dictantis ei τό Est, tantundem esse ac significat, de quo nesciebat, albusne an ater fuerit? Quamdiu veritas vim non patitur, charitas judicet. Hæc ideò prolixius retuli,

tuli, quia judicium illud B. Wagneri non est in multorum manibus, ut cernerent æqui rerum æstimatores, quid Theologus ille Veteranus 14. pagellarum spatio præstiterit loco prodromi justæ, quam meditabatur, refutationis, cujus prima jamdum lineamenta duxerat, sed ad umbilicum perducere morte præventus non valebat. Quare calumniæ locus non est, quando adversarii prætendunt, Wagnerianos hæredes non ausos esse patris opus contra Böhmium luci publicæ exponere; quis enim opus dummodo affectum & mancũ cui perficiendo par erat ex hæredibus nemo, ederesustineret in materiâ, quàm ante Wagnerum nostratium Theologorum nemo tractaverat? Præterea moderationem quoque adhibuisse in dijudicandâ Böhmii personâ evidens est.

Interea suos tamen in patriâ nostrâ defensores adeptus est Sutor ille Görlicensis; quorum primus erat *Ludovicus Scaturigius*, Germanicè *Bronnquell*, utroque enim nomine uti solebat modò Latino, modò Germanico. Is ingenium habuit mediocre, (uti in Actis Amicus ejus ad Jure consultum quempiam memorat, è quibus hæc, quæ sequuntur, excerpsimus.) In Scholas Claustrales & Seminarium Tubingense receptus totum se Theologiæ & Historiarum studio addixit, à Philologiâ & Philosophia vicissim alienus. Itaque historiarum notitiâ existimationem sibi parabat apud nonnullos, cum aliis, qui defectus ejus in literis noverant, non admodum æstimaretur. Ministerio idoneus Diaconiæ Megalo-Bottwariensi fuit admotus, ubi lectione libri Roberti Erythrophili (Weck-Glock der schlaffenden

Chri-

Christen / wider die wachtsame Türcken) excitatus caput 38. & 39. Ezech. cum cap. 20. Apocal. accuratius examinare cepit, quâ ratione opinionem de reditu Judæorum in terram ſanctam, eorumque univerſali converſione, ipſumque adeo Chiliasmum craſſiorem imbibit, quam Dialogo duplici ſub t...): Judæi reducis & Chiliasmi vindicati, adornatam aliis Eccleſiæ Miniſtris legendam exhibuit, & libere nimis paſſim de Chiliasmo locutus eſt. Cum autem eâ de re aliquid ad Conſiſtorium Ducale emanâſſet, eâ de cauſâ Stuttgardiam citatus, Apologiâ & Spontaneâ Dialogorum transmiſſione ita ſe purgavit, ut cum *paternâ reprehenſione* mit einem Vätterl. Verweiß / (ſunt verba amici,) & admonitione ne altius ſeſe immergeret, domum remitteret, Factumid eſt Anno 1658. paulò poſt ad Parochiam Lechgovienſem promotus eſt. Cum verò Anno 1663. Turcæ & Tartari factâ in Hungariam & Moraviam irruptione terrorem latè per Germaniam diffunderent, ipſe cum aliis perculſus Illuſtri Conſiſtorio J. A. Comenii Lucem in tenebris, hoc eſt, Coleri, Drabitii & Poniatoviæ revelationes commendavit & ſcriptis ad Aſſeſſores literis ſemetipſum, ceu ſorex, prodidit; ita, ut jam tum ſpartâ propemodum excidiſſet, niſi aliqui è Politicis, ipſeque adeò Dux Eberhardus clementiam rigori præferendam hâc vice ſtatuiſſent. Itaque per 14. dies carceri Theologico incluſus & libros J. Böhmii tradere juſſus auditâ comminatione ſeriâ ad parochiam rediit. (Poterat ſapere piſcator ictus, ſi quidem arrogans & turbulentus Viri Spiritus permiſiſſet.) Enimverò licet domo exeſſent libri fanatici, non-

dum

dum tamen opiniones cerebro erant ejectæ. Quare defunctis prioribus Consistorii Adsessoribus introductisque aliis, quorum favorem sibi promittebat, irruptionem Gallorum in Imperium nostræ quoque patriæ exitium allaturam persuasus, culpam in Theologos, (quasi falsis quibusdam Evangelicæ doctrinæ hypothesibus præoccupati, nec ipsi intelligerent, nec alios docere possent, quâ ratione istis temporibus sit inserviendum,) devolvere non est reveritus, denuoque literis suis satis acribus Synedrium sacrum solicitavit; cumque paulò ante novam de peccato in Spiritum S. opinionem esset commentus, scripto à se comprehensam, epistolæ inclusit, & Diaconi alicujus, qui scriptum illud à se petiisset, mentionem fecit. Mandato igitur Ducali ad Superattendentem Bietigheimensem M. Georgium Hauschium misso, plura de eâ re movere, & quis ille Diaconus sit, indicare, jussus est. Factum eâ occasione, ut annuâ in visitatione Lechgoviensis Ecclesiæ à Decano acrius in ejus doctrinam inquireretur, quod cum Bronquellio casu, an studio, non neminis innotesceret, ipse quidem Decano per literas succensere non dubitavit. Re igitur ad Consistorium delatâ Bronquellius Stuttgardiam citatus, capita, de quibus accusaretur, scripto sibi exhiberi desideravit. Jussus est igitur in diversorio Ministrorum (in der Geistl. Herberg/) commorari per aliquot dies, quod admodum ægrè tulit. Interea bibliotheca ejus à Decano in præsentiâ Medici Bieticani jussu Serenissimi visitata & libri suspecti in Consistorium missi sunt; recepit tamen omnes exceptis Böhmianis (quæ denuo sibi comparaverat,) Mysterio Magno de signatura rerum, de Præde-

ſtinatione &c. E contra M. Stolterfothi liber contra Viſiones ei legendus tradebatur, ex quo loco informationis (ut amicus fatetur,) majus ſcandalum accepit.

Poſtero die Lunæ 17. April. Anno 1675. in Conſiſtorium vocatus à D. Wölfflino informatur. Non dari hodiè amplius vocationem immediatam Vi 14. Artic. Aug. Conf. Cui Bronnquellius Authoritatem Stephani Gerlachii obvertit, dicentis in aliquâ diſput: Rariores eſſe hodiè Prophetas. Accepto autem ulteriori reſponſo acquieſcere nolens, durius habitus, dimiſſionem petiit, eâ de cauſâ, quod in nullo planè Domini Adſeſſores ei adſtipulari volebant. (Daß Er in allen Stücken ſolte unrecht haben.) Mitius deinde cum ipſo agi ceptum, & materia de peccato in Spiritum Sanctum, cujus infallibile criterium impœnitentiam finalem ſtatuebat & definitionem ita tum extendebat, ut nemo non ejus peccati fuiſſet reus, pertractata eſt. De eo errore admonitus & convictus ſententiam ex parte correxit & ulteriorem informationem ſcripto ſibi propinandam deſideravit. Quia tamen jam ante 15. annos ſeriò fuerat admonitus, denuò in carcerem Theol. ire juſſus & ab officio aliquandiu ſuſpenſus eſt, vices ejus agente quodam Stipendiario Tubingâ evocato. Conceſſum quoque eſt ut quemcunque vellet, è Diaconis Stuttgardianis eligeret, qui cum ipſo conferret. Elegit igitur M. Godofredum Kuharſtium, qui gravamina ejus ſcripto comprehenſa amicè examinavit & ex mente Theol. Evangelicorum ad ea omnia reſpondit. Erant autem quatuor quæſtiones ſequentes:

1. An

1. An poſt reformationem D. Lutheri Eccleſiæ in Eccleſiaſticis & Politicis expectanda ſit nova reformatio? Affirmabat Bronnquellius.
2. An Deus talis ac tantæ mutationis indicia mediatè tantum edat, an & immediate R. utroque modo.
3. Annon certa dentur criteria, quibus immediata Vocatio poſſit probari? Affirmabat.
4. Num, ſi immediatè vocati in rebus fidei aliquid afferrent, huic vel iſti Confeſſioni (adeoque & Auguſtanæ) contrarium, ex eâ ſolâ ratione forent rejiciendi? Quod negabat.

Has ſuas opiniones in reſponſoriis ad Kuharſtium probâbiles vocabat, & tolerabiles, excuſans tamen præcipitantiam, quâ dimiſſionem in Conſiſtorio petierat, & deſiderans, ut revocato Vicario ſibi liceret officio fungi. Scriptæ fuerunt hæ illius literæ. d. 7. Maji, 1676. Cum verò in iis ſpem feciſſet de mutando in melius animo; per libellum ſupplicem conſilio M. Kuharſtii miſſum & revocationem vicarii & reſtitutionem in officium, Diacono illo intercedente, obtinuit. Sed quia in ultimâ ſuâ declaratione docuerat (1) Romanum Imperium ante extremum diem finem habiturum. (2) Adeoque & Anti-Chriſtianiſmum Occidentalem. (3) Ex adverſo expectandam converſionem Judæorum univerſalem & (4) Dilatationem Regni Chriſti per totum mundum Vi Apoc. XX. eoque fine (5) & extraordinariè illuminatos à Deo mitti, qui ea prænun-

cient; M. Kuharſtius, vir doctiſſimus, tum ad quæſtiones prædictas tum ad exceptiones alias ſua transmiſit notamina, juſſu Conſiſtorii admonens, ut in hiſce & præſertim quoad Aug. Confeſſionem candidè ſe explicaret. Nolle enim Dominos Conſiſtoriales ut quicquam hypocriticè, vel reluctante ageret conſcientia, ſed ut ſepoſitis præjudiciis in timore Domini rem ponderaret omnem, tandemque agnoſcèret, quod ſolicitatione conſcientiarum Dominorum Superiorum per literas factâ lineam tranſierit. Nec dubium eſſe, quin omnium condonationem ſit conſecuturus. Has conditiones conſcientiam ſuam violare perſuaſus declarationem quidẽ aliquam concepit, ſed quorundam Eccleſiæ Miniſtrorum conſilio in Synedrium Ducale transmittere ceſſavit, ſperans fore, ut lis omnis in ſilentio ſopiretur. Metuens tandem ne pro ludificatione Conſilii Sacri haberetur declaratio non exhibita, literas dedit ad Joh. Laurentium Schmidlinum, eo tempore Superattendentem Stuttgardianum & Conſiſtorialem Extra-Ordinarium, quibus ſeſe excuſare conatus eſt, & declarationem ſimul transmiſit. Quoniam autem in theſibus ſuis perſiſtebat, nec, (niſi quod publicè illas non ſit propoſiturus in Eccleſiâ,) quicquam concedebat, juſſus eſt, mentem vicinius ad noſtrorum ſententiam conformare, & quia de ſatisfactione malè ſentire ipſum fama ferebat, à novo Superattendente Bieticano, M. Chriſtophoro Zellero, in oppidum vocatus eſt ut Textum. 2. Cor. V. 21. pro concione veſpertinâ explicaret, quod & fecit, nihil deſiderante Decano, niſi quod imputatio juſtitiæ Chriſti copioſius fuiſſet deducenda.

Juſſus

Jussus præterea, ut concionem cum aliâ declaratione in Consistorium mitteret; cumprimis Decanus ipsius M. J. J. Zimmermanno, Diacono suo injunxit, ut quâ posset ratione hominem in viam revocaret. Ipse verò nec se satis informatum esse, nec bonâ conscientiâ aliter sentire posse professus, Directorem Consistorii, Nicolaum Mylerum ab Ehrenbach, quem cognatione aliquâ attinebat, per literas compellavit, ut sibi præsidio esset. (Hactenus Manuscriptum.) Ita res cum hoc Viro protracta fuit, usque ad Anni 1679. exitum, quo cum sententiam mutare nollet, ab officio dimissus est, deserente illum ipsomet N. Mylero & aliis omnibus. Supersunt hodiè Theologi quidam Veterani, qui cum Viro sæpè sunt confabulati, eumque ad periculosissima de satisfactione Christi & aliis, dogmata tandem deflexisse testantur. Scripsit præter citatos Dialogos:

Christlich und einfältiges Bedencken von der Sünde wider den Heil. Geist / *impressum, Anno 1683. in 8.*

Alterâ vice Johann. Matthæi, Orthodoxiæ Theosoph. Böhmianæ præfixum, Franckfurt und Leipzig / 1691. in 8.

Discurs von den Schlüsseln deß Himmelreichs / Kirchlichen Gewalt und Gerichte zu binden und zu lösen / zu Männlichs Urtheil nach Heil. Schrifft aufgesetzt von *L. B. Anno 1678. num typis excusum sit, haud scimus, conf. Arnold.* Kätzer: *Hist. T. IV. p. 763.*

JOHANNES JACOBUS ZIMMERMANNUS, Diaconus Bieticanus, patriâ Wittembergicus domo Vaihingensis, natus circa Annum 1644. à teneris singularem indolem prodidit. Unde per varias scholarum trivialium & claustralium classes inter primos locum consecutus & in Stipendium Ducale receptus Anno 1661. primæ laureæ honores, A. 1664. magisterii gradum accepit, & elapsis aliquot annis, Mathematum præsertim studio clarus, Repetentis munere ornatus est. Ministerio adhibitus Diaconiam Bietigheimensem administravit. Ibi in Bronnquellii familiaritatem pervenit, cujus operâ quoque medicâ usus, febri hecticâ, quâ laborare ceperat, feliciter est liberatus. Sed dum corpus sanat Medicus ille, animum Zimmermanni Böhmianis principiis in utriusque perniciem usque adeò imbuit, ut is deinceps Sutoris Görlicensis Defensor & Assecla constantissimus permanserit. Malè igitur Hyperaspistes Arnoldianus (a) ponit, Bronnquellium à J. J. Zimmermanno excitatum fuisse, (tametsi fortè calamo sit lapsus;) nam Brecklingius Zimmermannum à Bronnquellio excitatum disertè scribit. Arnolds. K. Hist. Tom. IV. p. 763. Cum autem Zimmermannus Astrologiæ studio impensè deditus jam antea fuisset, scripta Böhmii ingenio ejus apprimè quadrabant, & quia Bronnquellium eruditione non parum superabat, Bœhmii principia majore quorundam applausu defendere cepit. Quo pacto non minus ac ille negotium facessivit Dominis Superioribus, edito præsertim Anno 1684. libello: Muth-

(a) *Hist.* Betrachtung. *p.* 409.

Muthmaßliche Zeit-Bestimmung/ 2c. sub nomine anagramatico Ambrosii Sehmanni de Caminiez, in quo ex variis criteriis, cumprimis Cometa magno, qui An. 1680. apparuit, meliorationem temporum non solum vaticinari, sed & ad An. 1694. determinare insigni temeritate ausus est. Provocavit insuper & ipse Dominos Consistoriales & informationem scriptam efflagitavit in quatuor punctis generalibus:

1. De Babylonis Europeæ interitu.
2. De millenario Sabbathico piorum & conversione universali Judæorum, Turcarum & Gentilium.
3. De veris Prophetis etiamnum existentibus.
4. De quibusdam dubiis circa Aug. Confess. & Apologiam.

Responsum est ab Illustri Consistorio eruditè ipsomet fatente; sed ipse non contentus varias exceptiones & prolixas opposuit & Anno 1685. Scriptum concinnavit, quo Evangelicam Ecclesiam Babylonem esse apertè professus est. Non parvas hisce suis opinionibus turbas in patriâ dedit, quare jussu Serenissimi privatim à B. Schellenbaurio, publicè à B D. Hæberlino primus ejus libellus est refutatus, imò in publicis quoque concionibus redargui cepit. vid. Schellenbaurs Epistel-Postill/ p. 42. Tandem, cum ab erroneis dogmatibus dimoveri nullâ ratione posset, ab officio remotus extra patriam migrare necessum habuit, non obstante, quod aliquando non vulgari gratiâ Serenissimi Administratoris

propter Astrologiæ peritiam floruerat. Igitur ex stella fixa factus erratica & πλανήτης (seductor) ad Dominum D. Spenerum delatus faciles quidem invenit aures, sed nullo suo commodo. Inde Germaniam peragrans Hamburgi per annos aliquot substitit, informatione & correctione librorum victum, scriptis Bœhmisticis famam sub fictò J. Matthæi nomine quærens. Cum autem spem de melioratione temporum ad Annum 1694. prædictâ decollare cerneret, pudore fortean suffusus, in Pensylvaniam cum 16. familiis ire constituit. Eoque fine navem & sumtus ab opulento Quackero precibus impetravit. Sed antequam navem ingrederetur, morbo correptus, magno suo bono, uti Crœsus ait, sed cæterorum ingenti luctu expiravit Roterdami Anno 1696. Uxor & liberi ejus à nonnullis multis muneribus cumulati cum reliquâ societate in Pensylvaniam abierunt (a) Encomia Viro tùm à sociennis tàm ab aliis data, nemo invideat; quando à F. Brecklingio doctissimus Astrologus, Magus & Cabbalista vocatur. vid. Arnolds Käßer-Hist. Tom. IV. p. 775. Gerhardus Crœsius Virum quidem appellat spectatis ingenii virtutibus & vitæ temperantiâ nemini postponendum, sed disertè excipit fanaticas ejus opiniones & Theologiam Bœhmianam Gigantum ausibus comparat; quare non est, ut Arnoldus cum suo defensore de hoc Crœsi testimoniò glorientur, quasi tanto Viro sese exonerâssent Wirtembergici; In der Historis. Betrachtung/ pag. m. 410. Nec enim propter eruditionem, vel temperantiæ studium; neque etiam ideò, quod I. Bœhmium

(a) *Crœsius, Hist. p. m. 752. seq.*

mium in ſcripto ſuo citaverat, (uti Brecklingius calumniatur,) depoſitus fuit, ſed propter ea dogmata, quæ totius Evangelicæ religionis ſubverſionem & librorum ſymbolicorum totalem abolitionem minabantur. Admiſſâ enim ſemel immediatâ Neoprophetarum illuminatione & vocatione nullus omninò fidei articulus amplius erit firmus. Non poterat igitur bonâ conſcientiâ vel in munere Eccleſiaſtico relinqui, vel ſaltim in Ducatu tolerari Zimmermannus niſi Formulam Concordiæ ipſimet Theologi, proſtituere & ſummam Eccleſiæ Lutherano-Evangelicæ indignationem incurrere voluiſſent. Ne dicamus, quod hoc pacto Libertinismo lata aperiatur porta. Præterea Zimmermannus tantâ cum inſaniâ Bœhmii perſonam & ſcripta defendit, ut eum Apoſtolis non tàm æquiparare, quam præferre auſus fuerit, teſte epigrammate, quod ad iconem Bœhmianam Theoſophiæ ſuæ præfixam hiſce verbis adjecit.

Wann Petrus Juden fiſcht/ der **Weber** wirbt die Heyden/
Beginnt der Schuſter jetzt ſie beederſeits zu weyden/
Weil Er die Heil'ge Schrifft mit der Natur verfaßt/
Doch iſt Er eine Laſt die Amaſias haßt.

Imò, ut θεοπνευστίαν libris Bœhmianis conciliaret, & errores in ſutoris operibus paſſim occurentes dilueret,

lueret, extremâ & deteſtandâ impietate Scripturam ipſam non ab omni errore immunem pronunciare non reformidavit. (Es ſeyen etliche irrige Dinge in die Schrifft gebrauen.) In Theoſoph. Bœhm. cap. 13. n. 8. conf. Erasmi Franciſci, gründliche Widerlegung der Verleumdungen / J. Matthæi pag. m. 86. Quæ blasphemiæ quomodo cum pietate verâ conſiſtere queant? nos certè non capimus. Dolis inſuper & technis uſum eſſe vel ex iis, quæ Dominus D. Spenerus Conſil. Theol. Tom. IV. p. 588. de Zimmermanno & ejus Superattendente refert, eluceſcit. Neque fidem planè merentur, quæ de fatis iſtius Superattendentis triſtioribus D. Spenero retulit, cum ipſe Zimmermannus Virum condemnare non ſit auſus, quin ex charitate ſperaverit, fore ut *contritum* ipſius *cor* ex gratiâ reſpexerit Deus. Neque circumſtantiæ, quæ D. Spenerus & Zimmermannus referunt, concordant. Iſte namque Superattendentem in catechiſatione contra Bœhmium invectum, illicoque attonitum ſequente die Sabbathi expirâſſe Hic in concione id factum & 14. demum poſt die mortuum eſſe affirmat; Ne-dicamus de attentatâ *αυτοχειρία*, quam ipſe Dominus Spenerus falſam eſſe conteſtatur. Malè igitur in iſtius Viri tentati obitu præſidium cauſæ ſuæ quæſivit Zimmermannus. Nec enim ſolus iſte Superattendens, ſed & ejus anteceſſor G. Hauſchius totiusque Synedrii Adſeſſores cum Bronnquellio & Zimmermanno negotium habuere Bœhmiumq; eâdem, quâ ille parrheſiâ rejecere, quod & alii, cumprimis G. Richterus Paſtor Görlicenſis, poſt illos B. Wagnerus & B. Calovius fecere, nec cuiquam

ex

ex iis tale quid evenit. Itaque si ponamus vera esse, quæ D. Spenerus ex ore Zimmermanni memorat, erit tamen fallacia causæ non causæ, ut causæ. Sed hæc sufficiant.

Scripta Zimmermanni sunt:

Theoriæ Secundorum Mobilium Perfectæ προγεῦμα, *Tubingæ*, 1664. in 4.

Calendaria in annos complures, Stuttg. 1675. *seqq.*

Mundus Copernizans; linguâ vernaculâ.

Muthmaßliche Zeit-Bestimmung bevorstehender Gerichten GOttes über das *Europæi*sche Babel und hierauf erfolgenden Anfang deß Reichs Christi auf Erden / unter dem Nahmen *Ambrosii Sehmann de Caminiez*, *Anno* 1684. *in* 8

Bey nahe gantz aufgedeckter Anti-Christ / oder unvorgreiffl. Bedencken über die Frage: Ob die Evangelische Kirche mit recht Babel und Anti-Christisch zu schelten / von welcher außzugehen seye? nach Grund der Heil Schrifft aufgesetzt / mit Beyfügung der Beantwortung anderer dieser *Materie* verwandten Neben-Fragen / *Anno* 1685. *in* 4.

Orthodoxia Theosophiæ Böhmianæ contra Holzhusium defensa, oder Christl. Untersuchungen der Holtzhäusischen Anmerckungen / über und wider J. Böhmens *Auroram*, unter dem Nahmen *Matthæi*, Franckfurt und Leipzig / *Anno* 1691. *in* 8.

In

In hujus libri appendice Erasmum Francisci propter editionem libri: Gegen-Strahl der Morgen-Röthe; sarcasticè admodum traduxit, & modestiæ limites haud parum transiliit, acriter vicissim ab eo exceptus, in Catalogo scriptorum suorum. Anno 1691. & paulò post in den zerbrochenē Läster-Pfeilen Ismaëls & Simei; ubi inter alia ceu ominosum observat, quod Zimmermannus sub nomine Johannis Matthæi, qui olim Anabaptista fuit, sese occultaverit. Quare suppresso deinceps nomine contra Abrahami Hinc Kelmanni quæstiones J. Böhmium defendere conatus est.

Judicet ex his Orbis Christianus: Num F. Brecklingius G. Arnoldus & Petersenius causam habuerint Ducale Consistorium iniquitatis accusandi ob remotionem L. Bronnquellii & J. J Zimmermanni, cum Bronnquellius intra 15. annorum decursum tertiâ vice redierit ad vomitum & quinque ferè annorum spatium resipiscendi habuerit; nempe ab initio Anni 1675. usque ad finem 1679. Certè ipse Bronnquellius in J. L. Schmidlino, Consistoriali, Spiritum mansuetudinis & Christi se animadvertisse fassus est, qui tamen à pervicaciâ eum oretenus & per literas graviter dehortatus erat. M. Kuharstium quoque candidè cum eo egisse ipse Bronnquellianus amicus, qui acta collegit, testatur. Zimmermannus autem statim ab initio litis Bronnquellianæ Anno 1675. peculiari mandato ex Curiâ ejus consuetudine abstinere jussus est, quod tamen facere, licet sæpè à suis Inspectoribus admonitus, neglexit, adeòque ultra decennium integrum summam longanimitatem (ita, ut ipsimet Domini Consistoriales

scriptis

scriptis argumenta illius admodùm placidè refellerent,) expertus est. Hæc ita se habere docent Acta Manuscripta, quæ cuivis cordato ob oculos ponere non detrectamus, è quibus & reliquis authoribus citatis ista omnia decerpsimus. conf. Caroli Würtembergis. Unschuld. Part. I. cap. 2. art. 4. & 5. p. 47. seqq. Item Caroli Senioris Memorabilia Tom. II. Libr. IX. p. 361. seq. & X. p. 743.

De Pietismo.

REstarent nunc dicenda de Pietismo haud nulla; Sed nundinis approperantibus excludimur. Sobolem esse Bronnquellii ac Zimmermanni Pietistas tertiæ classis, nimirum, fanaticos, Gerh. Crœsius author est. loc. c. p. m. 751. edit. Germ. At verò originem eorum altius esse repetendam certi sumus. De classium distinctione num firmo stet talo? viderint alii. Sunt quibus aliter haud differre quam semen & fructus aut ovum pullus & gallina persuasum sit. Ab initio fama tantum Pietismi Wirtembergiam pervasit anno 1690. cumque inclinare animi viderentur, repagulum novationibus quæsitum est edicto Serenissimi Principis Eberhardi Ludovici, d. 28. Febr. 1694. publicato, quo Ministris Ecclesiæ atque studiosis Theologiæ 1. de Chiliasmo. 2. De Principio Theologiæ & fidei. 3. De lumine Prophetico. 4. De Theologiâ literali. 5. De verâ Dei notitiâ 6. eâque etiam in Academiis tractanda & inculcandâ 7. De Servatione mandatorum legis. 8. De enthusiasmo. 9. De Theologiâ mysticâ. 10. De Jacobo Böhmio. 11. De adiaphoris da-

ta

ta eſt brevis inſtructio. Cepit tamen tacitè malum ſerpere, ita, ut ſtudioſorum haud infimus, P. A. B. qui quotidianam cum Michaële Molinoſio communionem ab initio & aſtruere & in uſum deducere annitebatur, mox in transverſum raptus in materiâ de Cœnâ, cum Reformatis, in electionis articulo cum Hubero; denique cum Chiliaſtis, Enthuſiaſtis & omnis ferè generis hæreticis ſentire occiperet. Patrocinio nonnullorum diu ſuffultus jam huic jam illi Viro docto informandus dabatur in convictu & converſatione domeſticâ quotidianâ. Verum is jam ultra humilitatis & docilitatis polum vela dederat. Ideoque poſt aliquorum menſium liberam in arce Twiela cuſtodiam patriæ finibus ejectus eſt, paulò ante diſceſſum à pio & docto Sene argumentis, precibus & lacrymis ſeriò, ut in viam rediret, nec ab Eccleſiâ Evangelicâ ſeceſſum faceret, admonitus, ſed incaſſum. Ubi nunc terrarum degat, ignotum mihi eſſe fateor. Excepit hunc Chriſtina Regina Baderia Anno 1699. viſionibus inclareſcere cupiens, ſed impoſturâ deprehenſâ meritis caſtigata pœnis. Anno demum 1703. in nervum erupit gliſcens ſub favillâ Pietismus, occaſione Joh. Georgii Roſenbachii, Heilbronnâ ob datas fanaticis opinionibus turbas ejecti, ex cujus libello Gnaden-Führung/ inſcripto, nonnulla huc facientia poſſunt peti. Subſecutum eſt denique Edictum noviſſimum contra Pietiſtas Anno 1706. d. promulgatum. Quibus ſucceſſére ſcripta quædam Anti-Pietiſtica partim privato, partim publico edita nomine; Deus conterat Satanam ſub pedibus noſtris brevi!

Epi-

Epilogus de Usu Biographiæ Wirtemb. Theoll.

MAgni Viri, Danielis Morhofii, votum est: Utinam in Germanâ gente esset, qui hoc patriæ suæ pietatis officium præstaret, colligeretque accuratam scriptorum & authorum suæ gentis historiam! vid. Polyh. Liter. T. I. L. 1. c. 18. p. 225. Id verò vix unius hominis esse laborem, doctissimi quique judicant. Si tamen unius post alteram provinciæ historia literaria prodiret, facilius ad scopum perveniri & justus posset institui delectus ad opus quoddam universale. Ego patriæ meæ qualecunque tributum literarium pendere conatus sum, cujus quadruplex esse potest usus, Theologicus, Politicus, Academicus, Oeconomicus. *Theologiæ* quidem *Cultor* hîc observabit reformationis qualitatem, & cœlestis vim veritatis, cui oppressi antea densa idolomaniæ pontificiæ caligine multorum animi posthabitis omnibus periculis manus dedére. Observabit providentiam Dei Specialem circa mini-

kommen liessen / damit man eigentlich wisse/ was man im Papstthum heutiges Tages glaubete / oder nicht glaubte / und was sie verwerffen/ oder gut heissen. Hierauf brachte D. Gregorius ein Limitation seiner vorigen Wort / (in welchen er allen unsern Verdienst von unser Rechtfertigung vor GOtt / gäntzlich außgeschlossen hätte/) und erklärte selbige also: Es wäre gleichwohl wahr/ und er bekennt noch/ daß unsere gute Werck oder Verdienst nicht zu unserer Rechtfertigung vor GOtt gehörte / sondern der HErr Christus hätte uns allein Vergebung der Sünden und ewiges Leben verdienet / aber doch / auf daß wir deß Verdiensts Christi theilhafftig / und selbiger uns applicirt werden möge / so müsse bey uns seyn ein affectus Charitatis erga DEum, das ist: Wir müssen zu unserm GOtt ein anmuthige Liebe haben und tragen / wollen wir anderst der Wohlthaten Christi theilhafftig werden. Da fragte ihn D. Osiander: Ob er durch diese Wort / (affectus Charitatis erga DEum) verstünde die Werck der Liebe gegen GOtt / oder auch gegen unserm Nächsten; sagte D. Gregorius: Nein. Fragte D. Osiander weiter: Ob er aber darfür hielte/ daß dieser affectus Charitatis, oder anmuthige Liebe gegen GOtt eine Causa oder Ursach wäre / daß uns GOtt zu Gnaden annehme / und uns gerecht und seelig mache; sagte D. Gregorius: Nein/ es mußte aber dennoch solcher affectus Charitatis, oder Liebe gegen GOtt vorhanden seyn / wann man GOttes Gnad / die

uns

uns Christus verdient hat / erlangen wolte/ und gab dieses Exempel: Es wäre eben ein Ding / als wann ein Fenster nicht gar zugethan wäre / und es wehete ein Wind / und das Fenster gienge auf / und der Wind wehete in die Stuben / so wäre zwar die Oeffnung deß Fensters nicht ein causa, oder Ursach/daß der Wind in die Stuben wehete/ aber doch dienete es darzu / und wäre ein Dispositio, oder Geschicklichkeit / darzu dienlich / daß der Wind könnte in die Stuben kommen. Also wären zwar unser affectus Charitatis erga DEum, oder Liebe gegen GOtt nicht ein Ursach / daß uns GOtt sein Gnad (welche Christus erworben/) widerfahren läßt; Es wäre aber eine Geschicklichkeit oder Dispositio darzu / daß die Gnade GOttes könnte zu uns eingehen / und wir also derselbigen möchten theilhafftig werden. Und diese Gleichnus hat D. Gregorius zum öfftermalen in währendem Gespräch widerhohlet und urgirt. D. Osiander aber antwortet ihme / und sagte: Diese Sachen liessen sich mit Gleichnussen nicht beweissen / wie offt man auch selbige wiederhohlet. Es lehrete uns die Heilige Schrifft nur von einem Mittel / durch welches wir die Gnade GOttes (welche uns Christus erworben/) könnten ergreiffen / welches Mittel wäre der Glaub an JEsum Christum. Mit demselbigen ergreiffen wir / gleich als mit einer Hand den gantzen Schatz deß allerheiligsten Verdiensts Christi / daß uns derselbig zu unser Gerechtigkeit zugerechnet und zugeeignet

würde/ und lehrete die Schrifft nirgends / daß wir die Gnade GOttes durch den affectum Charitatis, erga DEum, das ist: durch unsere Liebe gegen GOtt ergreiffen könnten. Es wäre ja jederman schuldig / GOtt den HErrn zu lieben. Diese Liebe aber wäre nicht das Mittel/ mit welchem der Verdienst Christi und GOttes Gnade ergriffen / sondern wir müssen zuvor in Gnaden seyn / ehe dann wir GOtt von Hertzen lieben können / durch den Glauben aber an Christum würden wir der Gnaden GOttes theilhafftig.

Darauff sagte D. Gregorius: Es wäre gleichwol der Glaub/ gleichwie ein Hand/ mit welcher man den Verdienst Christi und GOttes Gnade ergrieffe / man solte aber auch dieses bedencken / daß ein Hand nicht nur einen / sondern etlich Finger habe / und wann man mit der Hand etwas wolle ergreiffen oder fassen/ so müste man nicht nur mit einem Finger darnach greiffen/ oder es mit einem Finger fassen wollen. Also müssen wir auch die Gnade GOttes nicht nur mit dem einigen Finger ergreiffen/ und fassen wollen / sondern mit der gantzen Hand / nemlich mit dem Glauben/ mit der Liebe und mit der Hoffnung/ dann diese 3. Stück hatte St. Paulus zusammen gefasst/ da er geschrieben: (a) Nun aber bleibt Glaube/ Hoffnung / Liebe / diese drey aber die Liebe ist die gröste unter ihnen. Darauff antwortet Osiander: Er wüste sich wol zu berichten/ daß diese

(a) 1. Cor. 12.

se drey Tugenden/Glaub/Hoffnung/und Liebe würden von Alters her/ tres Virtutes Theologicæ genannt/ er wüste auch wol/ daß dieser dreyen Tugenden keine ohne die andere wäre; Nichts destoweniger so hätte St. Paulus nirgends geschrieben / daß man die Gnade GOttes durch die Liebe oder Hoffnung ergreiffen könte/ sondern St. Paulus hätte solches dem Glauben und nicht der Liebe zugeschrieben. So würde auch die Liebe darum von St. Paulo die gröste unter den drey Tugenden genannt/ nicht/ daß man durch die Liebe GOttes Gnade ergriffe/ sondern darum / daß die Liebe in Ewigkeit (auch in jenem Leben) bleiben wird / so doch Glaub und Hoffnung werden auffhören/dann in jenem Leben werden wir deß Glaubens und der Hoffnung nicht mehr bedürffen. Als aber D. Gregorius sein Gleichnüß von den Fingern in der Hand etlich mal wiederholte / und darauff drange/man könte nicht die Gnade GOttes mit einem einigen Finger deß Glaubens ergreiffen/ man müste die gantze Hand darzu gebrauchen. Sagte Osiander, man bedürffte nicht allwegen der gantzen Hand/ wann man etwas empfahen wolte / dann wann höchstgedachter Hertzog in Bäyern wolle seiner Diener einem ein guldene Ketten / oder ein Kleinod mit Edlengesteinen/ oder einen schönen Ring verehren / könte ein Diener ein solch Kleinod auch wohl an einem Finger fassen und ergreiffen ; Es wäre aber mit Gleichnüssen nicht zu beweisen / und es liessen sich die Gleichnüssen nicht weiter ziehen

oder dehnen/ dann so ferne sie sich recht zu einer Sache schicken. Es solte D. Gregorius Gezeugnüß auß der heiligen Schrifft bringen/ mit denen er getraute zu erweisen/ daß uns der Verdienst Christi (oder GOttes Gnad/ so uns Christus verdienet hat) durch unsere Liebe gegen GOtt / und nicht allein durch den Glauben zugeeignet/ und von uns ergriffen würde. Darauff brachte D. Gregorius den Spruch Christi: b) Wer mich liebet/ der wird mein Wort halten/ und mein Vatter wird ihn lieben / und wir werden zu ihm kommen / und Wohnung bey ihm machen; Sehet ihr hie / sprach D. Gregorius, daß der himmlische Vatter diejenigen will lieben / die den HErrn Christum lieben/ und daß Christus und sein Vatter wöllen zu dem kommen/ und Wohnung bey ihm machen/ der Christum liebet/ darum folget hierauß/ daß durch die Liebe gegen GOtt/ Christus und der Vatter mit seiner Gnade zu uns kommt. Diese Meinung wiederholte D. Gregorius etlich mal und dasselbig mit vielen Worten. Antwortet D. Osiander, und fragte D. Gregorium: Ob derjenige/ der Christum wahrhafftig liebte/ allbereit ein Kind GOttes / und bey GOtt in Gnaden wäre/ oder ob er noch kein Kind GOttes/ und also noch nicht in Gnaden kommen müste. Antwortet D. Gregorius: Ein solcher Mensch wäre allbereit ein Kind GOttes und wäre in Gnaden. Darauff schlosse D. Osiander: Es könte nicht unsere Liebe gegen Christo uns allererst zu Gnaden bringen / weil wir vorhin

(b) Joh. 14.

schon

schon in Gnaden wären/und würden nicht aller-
erst darum Kinder GOttes/ dieweil wir Chri-
stum liebten / sondern eben darum liebten wir
Christum unsern Heyland/ dieweil wir wüsten/
daß wir um seinet willen in Gnaden bey dem
Vatter wären / derowegen so hätte Christus
in dem angezogenen Spruch nicht davon ge-
redt / wie man der Gnaden GOttes und deß
Verdiensts Christi müste zur Seeligkeit theil-
hafftig werden. Sondern es wäre eine Ver-
heissung / daß Christus und sein himmlischer
Vatter wolten bey den rechten Christen (wel-
che durch den Glauben gerechtfertiget / und
Christum derowegen liebten/) mit allerley Ga-
ben und Gnaden wohnen / und sie täglich an
himmlischen Gaben reicher machen/derowegen
so könte auß diesem Spruch nicht erwiesen wer-
den/daß diejenigen / welche allererst solten Kin-
der GOttes werden / deß Verdiensts Christi
und der Gnaden GOttes sich müssen theil-
hafftig machen. Als aber D. Gregorius sich
nicht mit dieser Antwort wolte sättigen lassen/
sondern ferner auf diesen Spruch drange/sagte
D. Osiander: Er wolle beweisen/ daß die heilige
Schrifft an denen Orten/ da sie handelt / wie
wir deß Verdiensts Christi müssen theilhaff-
tig werden/mit keinem Wort von unserer Lie-
be gegen GOtt/ sondern allein vom Glauben
redete. Darum so wäre allein der Glaub das
Mittel / dardurch wir den Verdienst Christi
und also GOttes Gnade ergriffen; und erzehlt
nachfolgende Sprüch: (c) Wie Moses in der
(c) Joh. 3. Wüsten

Wüsten eine Schlange erhöhet hat/ also muß deß Menschen Sohn erhöhet werden/ auff daß alle / die an ihn Glauben nicht verlohren werden / sondern das ewig Leben haben. Item: Also hat GOtt die Welt geliebt/ daß er seinen eingebohrnen Sohn gab / auf daß alle / die an ihn glauben/ nicht verlohren werden/ sondern das ewige Lebē haben/ib. und bald hernach spricht Christus: Wer an ihn (Christum) glaubt/ der wird nicht gerichtet; ib. und Johannes der Täuffer sagt: Wer an den Sohn glaubt/ der hat das ewige Leben. Und St. Paulus schreibt also: (d) Nun wir dann seind gerecht worden durch den Glauben / so haben wir Friede mit GOtt / durch unsern HErrn JEsum Christum. Diese Gezeugnüß der Schrifft/ deren noch vielmehr könten erzehlet werden / (sprach D. Osiander) thun allesamt allein Meldung deß Glaubens (dardurch wir deß Verdiensts Christi theilhafftig und seelig werden) und melden mit keinem einigen Wort *unsere* Liebe gegen GOtt / darum lassen wirs auch dabey bleiben/ wie Christus und seine Apostel gelehrt / daß wir durch den Glauben gerecht und seelig werden/ und nicht durch unsere Liebe gegen GOtt/ welche in diesem Leben nimmermehr vollkommen ist. Als aber hierauff D. Gregorius antwortet : Es könte nicht alles an allen Orten der Heil. Schrifft gesagt werden/ darum ob wohl in oberzehlten Sprüchen unserer Liebe gegen GOtt nicht Meldung geschehe/

so

(d) Rom. 5.

so wäre doch solches an andern Orten der Schrifft zu finden / und wiederholt wiederum den Spruch Christi: (e) Wer mich liebet / der wird mein Wort halten; sagte D. Osiander: Es wäre auf selbigen Spruch allbereit lauter und gnugsam respondirt / und zu wiederholen unnöthig. Es solte aber D. Gregorius die Ordnung bedencken / welche GOtt gebrauchte / wann er einen armen Sünder wolte gerecht und seelig machen / die wäre nemlich also beschaffen: 1. GOtt der HErr liesse einem Menschen das Gesetz predigen / darauß folgte Erkanntnüß der Sünden / (f) auch wahre Reu und Leid über dieselbigen. 2. Er liesse ihme aber auch das heilig Evangelium von dem Erlöser Christo predigen / darauß erfolgte ein wahrer Glaub und lebendiges Vertrauen auf Christum. 3. Durch diesen Glauben aber würde ein Christ theilhafftig deß gantzen Verdiensts Christi / daß ihm derselbig geschenckt und zugeeignet würde / und er / durch diesen Glauben / (g) vor GOtt würde für gerecht und heilig gehalten / weil durch Christi geschenckten Verdienst deß armen Sünders ungerechtigkeit (h) vertilgt und zugedeckt werden. 4. Wann dann der arme Sünder durch den Glauben erkennet GOttes grundlose Barmhertzigkeit / so fähet er an seinen Erlöser Christum und den-

(e) Joh. 14.
(f) Rom. 3.
(g) Rom. 3. 4.
(h) Ps. 32.

den himmlischen Vatter / (der seinen einigen Sohn für ihn gegeben) von Hertzen zu lieben / um der grossen Treu und Gnad willen / die ihm erzeigt worden. 5. Auß dieser Liebe gegen GOtt folget / daß ein gerechtfertigter Mensch um seines Heylands willen / auch seinen Nechsten von Hertzen liebet / und daß er sich befleisset / nach seines himmlischen Vatters Willen gehorsamlich zu leben / damit er nicht muthwilliglich einen solchen gütigen Vatter und seinen treuen Erlöser Christum erzürne und beleidige. 6. Auß dieser Liebe gegen GOtt und gegen dem Nächsten folgen allerley gute Werck / auf welche uns GOtt / in seinen heiligen zehen Gebotten / gewiesen hat. Dieses (sprach Osiander) ist die rechte Ordnung / welche GOtt gebraucht / wann er einen armen Sünder wil seelig und gerecht machen / und man soll nicht gedencken / daß solche Stück allererst etliche Tag / Wochen / oder Monat / nacheinander folgen / sondern es findet sich beysammen / und bleibt doch allein der Glaub das einige Mittel / durch welches der Mensch die gnädige Verheissung deß heiligen Evangelii fasset / und ergreiffet / darum wird vom Apostel Paulo dem Glauben und nicht der Liebe / oder irgend einer andern Tugend die Rechtfertigung deß armen Sünders zugeschrieben. Wie dann auch St. Petrus damit anstimmet / welcher von Christo also sagt: (i) Diesem (Christo) geben alle Propheten Zeugniß / daß durch seinen

(i) Actor. 10.

nen Nahmen alle die an ihn glauben/ Vergebung der Sünden empfahen. Wem aber die Sünd vergeben seynd/ der ist vor GOtt gerecht und ein Erb deß ewigen Lebens. Hie bracht D. Gregorius noch ein Argument auf die Bahn/ nemlich/ es hätte Christus von einer armen Sünderin gesagt: (k) Ihr seynd viel Sünd vergeben/ dann sie hat viel geliebet. Darauß wolte D. Gregorius schliessen/ daß durch unsere Liebe gegen GOtt wir Vergebung der Sünden und GOttes Gnad erlangten/ und also derselben uns theilhafftig machten. Darüber fieng D. Osiander an zu lächlen/ darum daß D. Gregorius dörffte diß verlegen alt Päpstische Argument wieder herfür ziehen/ welches doch die gantze Historia desselbigen Texts/ wann sie gelesen wird/ stracks über ein Hauffen stosst; Hier wurde D. Gregorius etwas ungedultig über D. Osiander, um deß Lachens willen/ und sagte: D. Osiander, si tu potes ridere, ego etiam sum animal risibile; das ist/ kanst du lachen/ so bin ich auch ein Mensch/ und kan auch lachen. Darauff antwortet Osiander: Herr Doctor, wann ihr nicht leiden möcht/ daß ich lache/ so will ichs hinführo unterlassen; Aber auf das Argument antwortete D. Osiander also: Die gantze Historia von der armen Sünderin (welche mit ihren Thränen dem HErrn Christo die Füsse genetzt/ und sie mit ihren Haaren wiederum getrucknet/ deren auch der HErr Christus Vergebung ihrer Sünden verkündigt hat) ist so

(k) Luc. 7.

so klar wider D. Gregorii Argument, daß sie nicht wol könte klärer seyn; Dann da sich der Pharisäer ärgerte/ daß Christus dieses Weib (als ein offentliche Sünderin) und unerbare Person/nicht von sich abweisen wolte. Gibt ihm Christus zu verstehen/daß diese Sünderin nicht mehr vor GOtt ein befleckte Sünderin/ sondern daß ihr all ihre Sünde vergeben seyn/ darum solte sie der Pharisäer billich nicht mehr verachtet haben. Und bringt der HErr Christus eine feine Gleichnüß von zweyen Schuldnern/deren einem der Schuld-Herr viel Schulden/dem andern aber wenig nachgelassen/und fragt darauff/welcher Schuldner den Schuld-Herrn am meisten geliebet hätte/ der/ dem viel Schulden/ oder der/ dem wenig Schulden nachgelassen? antwortet der Pharisäer: der werde seinen Schuld-Herrn am meisten geliebt haben/ dem er am meisten nachgelassen; Darnach schliesset Christus darauß: daß auch dieser Sünderin viel Schulden/ oder Sünden im Himmel nachgelassen seyen/ weil sie solches mit grosser Liebe gegen Christo erzeige/ und spricht: Ihr seynd viel Sünde vergeben/denn sie hat viel geliebet/ welchem aber (spricht Christus) wenig vergeben wird/ der liebet wenig. Wer siehet hie nicht/ sprach Osiander, daß Christus nicht lehret/ daß diesem Weib darum seyen viel Sünden vergeben worden; dieweil sie viel geliebt/ sondern das Widerspiel/ nemlich/ daß diese Sünderin darum viel geliebet/ dieweil ihr viel Sünd vergeben seyn/

dann

dann wem wenig Sünd vergeben seynd / der liebe auch wenig / und setzt also Christus die Vergebung der Sünden zuvor und die Liebe hernach / und setzt die Vergebung der Sünden als ein Causam und Ursach / warum wir GOtt lieben/und gar nicht unsere Liebe gegen GOtt für ein Causam oder Ursach/ um deren willen GOtt uns die Sünd verzeihe / wie in der gantzen Gleichnüß klärlich zu sehen. Derowegen obangezogen Argument nicht dahin diente zu beweisen/ daß wir durch unsere Liebe gegen GOtt uns der Vergebung der Sünden/ deß Verdienstes Christi und der Gnaden GOttes theilhafftig machten. Dieweil aber D. Gregorius noch einmal mit dem Spruch Christi (Wer mich liebet/ der wird mein Wort halten) herfür kam/ und etliche mehr seiner vorigen Argumenten wiederholte jedoch kein neues brachte/ hat D. Osiander kürtzlich auch sein Meinung wiederholet/ daß/ nemlich/ die H. Schrifft uns den Glauben (und nicht unsere Liebe gegen GOtt) als das wahre Mittel durch welches wir deß Verdiensts Christi und der Gnaden GOttes theilhafftig werden/ fürstelle/ mit Vermeldung/ wer ein rechten wahren lebendigen Glauben und Vertrauen auff Christum habe/ der hat auch gewißlich Vergebung der Sünden/ Gerechtigkeit vor GOtt / und das Erbtheil deß ewigen Lebens zugewarten. Und dieweil es eben Zeit gewesen zum Essen/ ist man auffgestanden/ und hatte diese Disputation also ihr Ende gehabt/ und ist ferner nicht mehr disputiret worden.

Dieses ist kürtzlich und wahrhafftig der Innhalt deß gehaltenen Gesprächs/ treulich zusammen gezogen/ soviel man sich dessen hat etliche Zeit nachgehaltenem Colloquio wiederum erinnern können. Dann in währendem Colloquio auf keinem Theil ein einig Wort protocollirt und auffgeschrieben / und ist in dieser relation, fürsetzlich nichts / das zur Sachen thäte / außgelassen oder vertuscht / wie auch nichts hinein gesetzt worden / sondern Summarischer Weise erzehlt / was zu beeden Theilen in substantia fürgebracht.

Es wäre auch ein Protocoll zu halten / dieser Gestalt / wie die Colloquenten geredt / nicht müglich gewesen.

Epistola Polycarpi Lyseri D. ad Lucam Osiandrum. De A. Stangvvaldo.

Salutem in Domino!

REverende atque Clarissime Domine pater perpetua pietate colende. Præsens hic honestus & eruditus vir, Dominus M. Andreas Stangwaldus, Borussus, totus in eo est, jam ab aliquot annis, ut in publicum producat Historiam publicorum conventuum, in causa religionis, inter Protestantes & Pontificios controversa, inde ab exordio repurgatæ doctrinæ celebratorum.

Innotuit mihi hoc ipsius institutum primum Rostochii, ante sesquiannum in ædibus D. D. Chytræi,

træi, cui hoc inſtitutum ut & cœteris ipſius Collegis magnopere probari cognovi. Et licet pauci illud opus, ſi perfectum ederetur ob pretii magnitudinem comparare poſſent: Tamen ſi in illuſtrioribus Bibliothecis aſſervaretur ad quas aliis quoque pateret acceſſus, absque dubio plurimum utilitatis præbere poſſet iis, qui in controverſiâ hac gravi firmum fundamentum collocare vellent. Puto tamen bono viro adhuc non pauca deeſſe, quæ ad abſolvendum & perficiendum illud opus ſunt neceſſaria. Ac eapropter profectionem inſtituit ad Illuſtriſſimam aulam Wirtembergenſem, quantum intelligo hoc nomine, ut impetret partim ſubſidium aliquod in perferendis ſumtibus edendi operis, partim promotoriales ad Ducem Vinarienſem, quo eo liberalius ex Archivis ipſi communicent ea, quæ ad perficiendum hoc opus etiamnum deſiderantur. Rogavit itaque me, ut literis ad te ſcriptis ſibi aditum apud te, quem jam ſatis diu & videre & audire deſideravit, pararem, quo negotii & inſtituti ſui rationes apud te exponere poſſet. Etſi vero ſciam, te tua ſponte, etiam me non intercedente ipſum benevolè admiſſum, patienter auditurum & pro virili pios ipſius conatus promoturum: Tamen bono viro ob ſingularem ipſius modeſtiam & probitatem deeſſe nolui, etiam atque etiam te rogans, ut ne hanc meam pro ipſo interceſſionem ægrè feras, & in reliquis ita ipſum excipias, ut animadvertat meam apud te commendationem pondus aliquod habuiſſe ut mea viciſſim officia pollicear opus non eſt, cum omnia mea & tua ex te eſſe non ignores. Benè vale meisque verbis non tantum matrem, fratres & Sorores, ſed etiam

Collegas omnes reverenter Saluta. Dabam Brunsuigæ, 11. Jun. An. 91.

T.

Filius.

Polycarpus.

Reverendo atque Clarissimo Domino Lucæ Osiandro S. Theologiæ Doctori celeberrimo Illustrissimo Duci Duci Wirtenbergensi à concionibus & consiliis sacris Domino patri suo cum pietate colendo.

Epistola Ægid. Hunnii ad Sam. Huberum, ejus historiam illustrans.

Salutem in Christo.

ETsi Reverende & clarissime Domine Doctor Collega & amice honorande, Dominus Doctor Polycarpus & ego heri tibi sententiam Magnifici Rectoris & Seniorum in causa tua indicavimus tuumque responsum cognovimus: tamen quia hodie referre nos oportet, ecquid responsi dederis: omnino judicavi te pro nostra amicitia fraterne admonendum, ut optatius des responsum, ne si in hesterna sententia duriore persistas, tranquillitas Scholæ hujus turbetur & calumniis sinistrè de doctrina judicantium occasio subministretur. Et quia res ipsa postu-

poſtulat, ut & in hoc & aliis negotiis affectus tuos modereris, exiſtimavi non parùm ad rem facere, ſi quæ hactenus inter nos collegialiter agitata ſunt, paulo retexam altius. Quæ ut in meliorem interpreteris partem per Chriſtum etiam atque etiam oro. Tria ſunt, quibus hucusque tecum egimus. Primum fuit de temperanda ſtyli vehementia in ſcriptis tuis. Secundum de poteſtate Dominorum ſeniorum in Academia. Tertium de centum florenis quos Academiam tibi debere judicas. Quod primum attinet, recordaris haud dubiè, quam fideliter non ſolum Doctor Polycarpus & ego, ſed etiam alii, & inter hos imprimis Theologi Wirtembergenſes te monuerint. Cumque haud te fugiat, quam varia judicia ſint non hoſtium duntaxat ſed amicorum & fratrum de Præfatione libelli tui contra Kinedontium: Non potuerunt cogitare, futurum, ut eum libellum prelo rurſum ſubjiceret : donec partim judicio Johannis Spieſſii (cui vendere voluiſti recudendum) partim vero ex propria tua Confeſſione (cum jam in editione iſta ſecunda aliquot paginæ in officina Welleri noſtri eſſent impreſſæ, & res non amplius eſſet integra) cognovimus. Quanquam autem impreſſionis factum initium eſt: non à præfatione, ſed à libello ipſo : tamen ſive retineatur Præfatio erunt metuendæ turbæ : Sive abjiciatur neque hoc ſine variis judiciis fieri poterit. Hanc enim abolitionem præfationis eò interpretabuntur nonnulli, quaſi ipſemet jam agnoſcas ea, quæ Adverſarii imputarunt præfationi, non prorſus abs re & ratione eſſe ei imputata, utpote quod ipſe nunc abjiciendum eſſe duxeris. Jam præfatio, qua Henningium acri adeò

ſtylo perſtringis & quæ, ut planè metuimus, in Dania turbas dabit, itidem nobis inſciis in lucem eſt edita. Quod ſi obtendas neutrum noſtrûm fuiſſe domi, cum ea eſſet imprimenda, expedita reſponſio eſt, affuiſſe nihilominus D. D. Gesnerum: ad hæc non magnopere fuiſſet opus, ut tantopere acceleraretur editio, quæ in reditum noſtrum commodè differri poterat. Meminiſti etiam Reverende vir Collega, quam ſollicitè monuerim ne præfationem tuam recuderes, ſed contraproteſtationi Bremenſium moderatum ac nervoſum reſponſum, cui, ubi opus eſſet, verba ex Proteſtatione primitus excuſâ insererentur, opponeres idque communicatis cum Facultate ſententiis ederes. Verum neque hoc obtinere potui, quin abſque conſenſu Facultatis in re tam gravi & ardua præcipitares editionem cum Proteſtationis, tum contra proteſtationis & ſcripti annexi. Sed quia res amplius integra non eſt, committo ego eventum Deo. Interim ne porrò tale quid citra noſtrum aſſenſum fiat; & ut noſtris rectè monitis etiam obſecundes per Chriſtum oro.

Porro ſecundum eſt de Poteſtate Seniorum in quatuor Facultatibus. Quanquam autem poſſunt hujusce muneris aliqui eſſe abuſus, qui mihi quoque ſcrupulum aliquem moverant, tamen ex lucu lentâ relatione D.D. Polycarpi ante quadriduum cognoſcere licuit, hoc munus Senioratus ultra quinquaginta annos in hac Academia ſic receptum & invulgatum eſſe, ut niſi totum Academiæ ſtatum convellere velimus, non poſſimus hanc formam Adminiſtrationis fiſci & rei peculiaris mutare. Et ſpes erat te in ſententia à D. Polycarpo demonſtrata acquie-

quieturum. Nihilominus verò in hesterna nostra collocutione deprehendimus, te etiamnum aliquo modo in priore tua sententia perseverare. Non est autem difficile æstimare, si Domini Seniores levissimè saltem insimulentur non recte curati fisci, aut administratæ pecuniæ Academicæ: Illos vicissim mordicus suum honorem existimationem & famam esse asserturos & hujusmodi exorituras turbas, quæ vix ulla ratione sedari queant. Retuli ego nuper cum & mihi aliqua injecta esset suspicio, anno superiore quod me (qui tum genuinam sustinebam personam Rectoris & Senioris in Facultate Theologica) vix Witeberga ad Visitationes ecclesiarum digresso, scrutati fuerunt ærarium publicum, id quod absque mea præsentia dictas ob causas fieri non debuisse judicabam: tamen Doctoris Zangeri Epistola, qua se cæterosque Seniores mihi purgaverat & quid factum esset, exposuerat, ita mihi esse satisfactum ut eum scrupulum ex animo ejecerim. Suaserim igitur fraternè, ne litem intendas Senioribus utpote ad sui defensionem paratis ac expeditis. Et ut ad ultimum me conferam: miror: cur tantopere urgeas illos sive centum sive pauciores florenos, quos deberi, nec ex statuto ullo nec consuetudine eviceris. Venisti huc, nisi fallor, tertiâ die Decembris anni superioris. Ante Luciæ festum, quo Professoribus annui salarii quadrans solvitur nullum abs te factum operarum vel Scholasticarum, vel ecclesiasticarum initium; nulli ad huc præstiti labores Itaque ut pace tua dicam, non video, quo jure pecuniam eam, si receptam antiquam consuetudinem Scholæ hujus spectes, efflagites: præsertim cum alioquin Illustrissimus

Pro-Elector sumtus itineris, qui ultra 270. florenos non excurrebant, trecentis florenis liberalissimè pensarit, quin insuper 500. florenos præterito verno tempore donavit, stipendium quoque tuum à Senatu Academico quinquaginta florenorum: annua accessione sit auctum & pro inspectione Stipendiariorum Electoralium tibi decreti annuatim 150. fl. ita ut integrum Stipendium tuum sit 550. florenorum. Quod autem obvertis id, quod ex gratia mihi concessum & donatum est, dixi heri, esse id personale, nec in consequentiam trahi posse, quemadmodum certè ego, ac uno quidem verbo pretii anticipavi solutionem quadrantis, neq; adeo licuisset mihi ullo jure, quantumvis ecclesiasticarum operarum (non autem Scholasticarum) initium à me factum erat. Est vero etiam. D. D. Gesneri exemplum dissimile: Antequam enim efflueret ille anni quadrans, quo huc venerat prævertit illius finem laboribus ac operis Scholasticis faciendis. Et nosti ei datum extraordinarium beneficium, quale tibi contigit in illâ quingentorum florenorum donatione, sicut & salarium ipsius ducentis florenis est exilius tuo. Cum igitur res vere sic habeat, cumque in illis mutationibus quas hic integro biennio perpessus est fiscus, ita sit exhaustus, ut quæstor Academiæ constanter affirmet, nisi vela nostræ liberalitatis ac extraordinariarum illarum erogationum contrahamus, futurum, ut post exiguum tempus Dominis Professoribus ordinaria sua stipendia exsolvi nequeant: ego te per amicitiam nostram obtestor, ut animum ad quietem componas, nec rem istam ad Illustrimmum devolvendo litem Senioribus intendas. Si enim id fiat expo-

exponent illi rationes ſui facti & adminiſtrati muneris & evadet iſta res in periculoſiſſimam contentionem & quid Princeps? quid aulici? quid amici? quid inimici judicaturi ſint? Forſan non difficile fuerit divinare; præſertim, cum jamjam aliqui muſſitent, abſona hæc nonniſi ex avaritia (refero aliorum judicia,) quæri ac ſuſcipi. Certè noſti præcipuam laborum noſtrorum mercedem eſſe repoſitam in cœlis & poterit Deus ſtipendio annuo 550. fl. te tuosque commodè & liberaliter alere, qui etiam egentiſſimos quosque diurna ſua bonitate ſuſtentat ac alit.

Abjice etiam opinionem ſiniſtram, ſi quam vel de me, vel de Domino Superintendente concepiſti. Cole unâ nobiſcum fraternitatem & conſenſum animorum qualis alias inter nos cæteros in Collegio Theologico Facultatis DEi beneficio longè dulciſſimus eſt Hæc ab animo ſincero profecta candidè accipias velim & reſponſum tale prome (quod ad pecuniam illam attinet) quod ſine offendiculo Rectori magnifico ac Senioribus referre liceat, qui has partes D. D. Polycarpo & mihi delegârunt. Vale in Chriſto JEſu, Collega & amice honorande. 1. die Novembr. An. 94.

Epiſtola ad D. D. Huberum.

Ægidius Hunnius.

Salutem in Christo JEsu.

EÒ gratiores mihi tuæ literæ fuerunt, Rev. & præstantissime Vir, amice honorande, quod eæ silentium illud, quo nonnullis huc usque amicis usus es, abrumpunt, & te jucundam mei memoriam etiamnum retinere copiose declaras; simulque tuam in confessione fidei sinceritatem incorruptam ac nostris cum Ecclesiis pulcherrime consentientem sancte testatam reddis. Quæ omnia mihi cognitu admodum fuerunt accepta. DEus bonum opus, quod in nobis cœpit, porrò ad divini nominis sui gloriam conservet ac confirmet.

Inprimis autem gratias ago tibi singulares pro illo pietatis officio, quo me filii optimi & obsequentissimi addo & eximiæ spei, præmaturum obitum (si modo eorum, qui in Domino moriantur obitus potest esse præmaturus) lugentem erigere & consolari voluisti. Dominus JEsus tibi tuisque vicissim benefaxit, omnemque vobis prosperitatem, temporalem juxta & æternam largiatur, Amen.

Cæterum rogavit me pius & doctus Juvenis Salomon Hofmeisterus, illustris & Generosi Domini, Domini Wolfgangi, Comitis in Hohenlohe, &c. alumnus, ut ad literas illas tuas respondeam. Id quod renovandæ veteris illius nostræ conjunctionis causa omnino faciendum duxi. Simul transmitto tibi Exemplar Concionis funebris, quæ in honorem ultimam filii mei (cujus memoria est in æterna benedictione) habita est.

Quod

Quod restat, ego te tuosque præpotentis DEI tutelæ ac protectioni commendo. Datum Witeb. die 24. Octobr. Anno 1596.

Tuus in Domino

Ægidius Hunnius.D.

Reverendo Viro, pietate, doctrinaque Spectatissimo Domino M. Johanni Assum Illustris Aulæ Hohenloicæ Concionatori dignissimo, Domino & amico veteri ac in Christo conjunctissimo.

Weyckersheim.

Præsentat. 29. Novembr. Anno 1596.

SAlutem & ineuntis anni Secularis ac Jubilæi læta auspicia & progressus ex animo Precor.

Reverende & humanissime Vir, amice in Christo plurimum colende, præsentem hunc pium & doctum Juvenem M. Matthæum *S*trabonem, meum hactenus discipulum, de meliore nota tibi commendo, amanter & officiose rogans, si ei possis sub inspectione & diocœsi tua honesta functione Ecclesiastica prospicere, ut hoc non tam ipsi quam mihi dare velis.

Est verò ipse per se dignissimus, qui promoveatur, quippe moribus honestis ornatus, liberali doctrina perpolitus, & inprimis necessaria cognitione rerum Theologicarum instructus. Constabunt tibi mea vicissim officia.

Preca-

Precationes Domini novi, nolo eſſe ἀσύμβολος: idcirco ſtrenæ loco mitto Exegeſin Epiſtolæ Paulinæ prioris ad Timotheum. Quod reſtat, ego te unà cum tuis Præpotenti DEO commendo.
Datum Witteb. die 3. Januarii
Anno ſeculari 1600.

Tuus in Domino

Ægidius Hunnius, D.

Reverendo Viro, pietate, doctrina & virtute Spectatiſſimo, Domino M. Johanni Aſſum, Eccleſiæ Weickershemianæ Paſtori, & reliquarum per Illuſtrem Comitatum Hohelöenſem Superintendenti digniſſimo, amico ſuo ceu fratri in Chriſto plurimum colendo.

Præſentat. 20. Febr. Anno 1600.
ab ipſo M. Strabone.

INeuntis hujus novi anni curſus ut conjunctus ſit cum R. Tuæ incolumitate ſtabili, Vir Reverende & Clariſſime, precor ex animo: Scripſit ad me nuper Tubingâ filius M. Johannes Auguſtinus, Illuſtriſſimi Principis, D. Julii Friderici Ducis Würtembergici, &c. Domini mei Clementiſſimi ſtudiorum Præfectus, R. Tuam aliquoties in colloquio familiari mei honeſtè memorem, ſuæ erga me benevolentiæ, luculenta ſignificaſſe indicia.

Quo

Quo cum nihil mihi contingere poſſet optabilius, nolui, data occaſione, prætermittere, quin meam viciſſim erga R. Tuam aliquâ ratione teſtificarer voluntatem. Editus eſt autem Frankofordiæ ad Mœnum libellus quidam nomine Illuſtris mei Comitis, D. Wolffgangi, à me illius mandato collectus, de præcipuis Religionis noſtræ articulis. Ejus Exemplari uno, unâ cum concione una funebri, habita vere ſuperiori, Illuſtri & fortiſſimo Heroi, D. Ludovico Caſimiro, Comiti Hohenloico, p. m. R. Tuam humiliter & reverenter dono, orans, ut R. Tua non è dono animum, ſed ex animo puræ Religionis & R. Tuæ amanti donum æſtimare velit. Perſuaſit autem mihi, ut ſic facerem, non ſolùm amor erga R. Tuam meus, perſpectaque mihi R. Tuæ humanitas, ſed etiam juſſit idem Illuſtris & Generoſus Comes meus, D. Wolffgangus, qui R. Tuam ab illo tempore, quo in aulâ Würtenbergica eam vidit, clementi ad huc voluntate pro ſequitur, & ſperat, libellum iſtum, qui nuper M. Abdiæ Wikero miniſterio Frankfordiano & multis aliis bonis & doctis viris probatur, R. Tuæ non diſpliciturum. Sic R. T. precibus fidelibus divinæ commendo protectioni & me meosque R. T. ſubmiſſe commendo. Datæ Wikersheimiæ 8. Jan. 1606.

R. Tuæ

obſervans

M. Johannes Aſſum.

And.

And. Osiandri Canc. Tub.

Observata in Lectione Hohenlöensis corporis doctrinæ.

1) Placet zelus Illustris & Generosi Comitis de Hohenlöe in religionis negotio declaratus.
2) Methodus est accurata.
3) Genus dicendi tersum.
4) Delectus in allegandis scripturæ testimoniis.
5) In præfatione Litera B. Formulæ Concordiæ honestum perhibetur testimonium.
6) Multi etiam articuli, quos non habet Formula Concordiæ; in hoc libro explicantur.

SAlutem plurimam in CHRISTO JESU, Servatore nostro, Reverende & Clarissime Vir, Præposite & Cancellarie Dignissime Domine Patrone observande: Chartaceum munusculum, vile quidem, à R. Tua non omnino vili æstimatum, vehementer lætor. Ἀντίδωρα vestra accepi animo gratissimo, & perlegi avide, quæ me non parum erudierunt & confirmarunt. Desiderio tenebatur incredibili Illustris & Generosus Comes meus percipiendi R. Tuæ de libro nostro judicii, qui de jam percepto plurimum sibi gratulatur. Quamvis enim ex me, referente fideliter, cognovisset, quibus in partibus libri R. Tua declarationem à me flagitaret planiorem: non tamen id tanti esse momenti æstimavit, quo in Doctrinæ substantiâ divelli ab invicem nos possemus: sic placuit ejus etiam Generositati, ut negocium, ubi aliquid ambiguitatis liber vobis

vobis præ ſe ferre videretur eâ, quâ poſſem, perſpicuitate declararem: id quod hiſce paginis pauculis linguâ vernaculâ (in gratiam Generoſi) pro tenuitate mea, animo ingenuo & ſolito, à me eſt factum. De Generoſo & Illuſtri Comite meo polliceri poſſum R. Tuæ, eum à doctrina Calviniſtarum (in locis controverſis) eſſe alienum. Ego verò ultra annos jam 24. in continua contra doctrinam Calviniſtarum militia, imò in UNA perpetua prope acie ſtando, & ſcriptis confligando cum illis, jam conſeneſco, meque dum, ubi fuerit opus, pedem opponere illi (niſi me vires deficiant) fatiſcam, adjuvante me Domino. Delectum autem phraſium (earum tamen, quæ à Theologis noſtris à me mutuantur & ſanæ ſunt) hic locus deſiderat, niſi turbare velim omnia magno cum periculo Eccleſiæ hujus loci & conſcientiæ meæ. Illuſtris & Generoſis Comes meus R. T. optimè precatur clementer. Ego pro R. T. incolumitate orabo fideliter. Reverenter etiam ſalutari meo nomine peto R. & Clariſſimos Viros R. Tuæ D. Collegas, quorum patrocinio me meosque commendo. Dat. Weikersheimiâ, 19. Febr. Anno 1606.

R. T. obſervantiſſimus

Illuſtris & Generoſus Comes meus dono mittit clementer R. T. Exemplaria iſthæc Concionis Funebris, ut ea inter ſe & D. Collegas diſpertiri pro arbitrio, velit; in Illuſtris & Generoſi D. Patris & fortiter defuncti D. Filii (herois certe bellicoſiſſimi) p. m. piam & perennem recordationem.

Ad

Ad Part. II.

S. P. D.

REverende & chariſſime Dn. Præceptor. Cum in hunc tabellarium Marpachenſem incidiſſem; ſine literis ad R. T. non cenſui dimittendum, præſertim, quia ſpem ſui reditus fecit intra ſeptimanas ſex. Itaque ſignifico, me ad literas tuas quibus ſpem reſponſi ad Perſonæ meæ objectiones facis, reſcripſiſſe per poſtam: eoque ſpero te illas recepiſſe. Quod ſi quid interea conceptum eſt à quoquam, tuo ve D. D. Cancellarii hortatu; id, non obſtante, quicquid acerbitatis forte habeat, modo de cætero tuæ & Cancellarii ſententiæ ſit conſentaneum, rogo præſentium latori tradas. Simul autem & hoc rogo, ut quicquid apud R. Tuam reliqui ſchedarum, ſeu germanico idiomate ſeu latino; illud jam addas, ut *tandem* aliquando ad ſuum Dominum revertantur. Nam ſi earum Tubingæ vel Stuccardiæ uſus eſſe potuit, eum jam puto expiraſſe. Sin autem, ut ex literis cujusdam intellexiſſe videor, Stuccardiam aliqua de iis ablegata à te fuerunt, in meum commodum: ea quocunque pervenerint ſarta tecta fore puto: eoque & hoc rogo, ut tabellarium hunc cum ſcheda ad illa repetenda Pragamque deportanda ableges. Equidem quoscunque illa lectores nacta fuerint, eos hoc reputaſſe puto, me non reliquiſſe illa, ut iis chartis privarer, quaſi mihi domi manus ad urendas defuerint; ſed ut ſcrupulis, quos chartis expreſſi, prompta Theologorum inſtitutione, liberarer. Si quis, ut ſupra dictum, operam hic mihi collocavit; ei de ho-

noratio

notario Academiæ: si repertum & receptum fuerit, pro arbitrio tuo, meo nomine aliquid dones. Sin autem periit: dilationem peto dum paulo liberalius mihi ex aula nostra uti spes nuper facta, fuerit prospectum.

Cum audissem respondisse Heidelbergenses, puduit nonnihil falsi indicii: mihi enim erat dictum, non responsuros. Ut legi, miratus sum illos non potius in solidum tacuisse, quam ut arrectis lectorum sollicitorum animis, rebus missis, illuderent. Nam quid mihi prodest, de factis rescilcere personarum, qui medicinam expecto dogmatum, & pacem capto? Vides quantum argumentum aliquid publice scribendi, si cui concederetur ea libertas, quam sibi sumsit conceptum meum Germanicum: & si occasio pateret, aliquid edendi suppresso nomine.

Scribo jam exercitii gratia contra Hubertum, Sturmium, cujus Anno 1604. libellus in octava Hanoviæ est editus. Ex Zanchio fatalia defendit omnia. Scopus meus fuit, neminem sequi, præter sacras literas, cujusque loci circumstantias pensitare diligenter, sensum eruere ex antecedentibus & consequentibus, Loca unius Apostoli plura inter se, & cum locis Apostoli alterius, denique cum Christi Servatoris dictis comparare. Quid multis? Ubi ad fastigium montis enixus circumspicio, *video me juxta præceptores meos stare.* Gratulatio magna, si nemo esset ex hoc numero, cui tua in continuatione examinis responsio super viribus & exemplis non renatorum (numerus foliorum excidit, & librum commodato dedi) Synergismi & Philippismi accu-

ſaretur. An litem tibi moturus ſit, ignoro: certè Hutterus in ſuis diſputationibus ſuperiori anno in octava editis (privata enim colloquia & literæ cum authoribus ſupprimantur in præſens) Philippo litem intendit, *quod docuerit gratiæ Evangelii partem hanc eſſe, arguere peccata terrore illato & ſic tandem perterrefactas conſcientias adducere ad DEum.* Ex quo intelligis, authorem hunc non facile conceſſurum illam præparationem animorum ad regnum DEI, *quam doces in explicatione vocis* τεταγμένοι. Quid verò hæc ad me: tecum enim exclamo, Portæ inferorum non prævalebunt adverſus hanc doctrinam, Gratiæ prævenientis fuit ut mitteretur Joannes ad excidandos, & ſic Regno Dei venturo præparandos homines. Eadem omnium Apoſtolorum fuit conſuetudo: Paulus Athenis auſpicatur ſuam concionem ab inculcatione terribilis judicii vivorum & mortuorum, &c. Occaſio de hoc tui libri loco diſſerendi fuit ex Confeſſione Bohemica, quam in loco de bonis Operibus, appendicem facit de juſtitia civili, quam diligenter diſtinguit contra illa, & tribuit nondum renatis, inter cæteros uſus ejus, hunc ultimo recenſet: Magiſtratum Eccleſiæ addictum debere illam urgere apud ſubditos, ut tanto aptiores evadant, ſuſcipiendo Verbo Evangelii & ſpiritui ſancto. DEum enim opus ſuum non velle operari in his, qui contempta civili juſtitia belluinam vitam agant. Cum in tota confeſſione nullus occurrat titulus peculiaris de prædeſtinatione ſcripta eſt enim anno 1573. nondum enatis litibus. Hic tamen ſufficit ad debellanda illa Stoica monſtra.

Et

Et tamen iis qui ad hoc debellationis opus conducti sunt, nomenque dederunt non placet hic articulus, accusatur Synergismi, & cum eo tua etiam Examinis continuatio in subsidium adducta. Hæc pro.

Contra. Examen meum disputationum Schæferi occasione præterita volui mittere Giessam ad Menzerum. Aiebant enim, promptum esse ad hujusmodi examinanda. Monuerunt tamen inspicere ejus tomos disputationum. Inspexi ad momentum apud amicum discedentem: videtur omnino idem, quod ego, sentire: quod si est (inspiciam enim diligentius) impossibile est ut vobiscum per omnia in illo articulo sentiat. *Ecce iterum materiam alicui concilio ad sedandas controversias,* si impetrari posset, ut non obstantibus subscriptionibus alter alterum pacifice audire, suamque sententiam libere profiteri posset. O sapientem Dei sapientiam: quæ nobis dissuasit Rabinos audire, id est tali loco haberi, ut dicta nostra sint authentica. Insidiatur humana arrogantia per se, ut nemo videri velit errasse: quanto magis, si habeat prætextum, ut honos loci, ordinis, libri, Principis, defendatur, ut scandalum vitetur. Quid magis obstat sedi Romanæ, quo minus locum det patefactæ veritati, quam hoc, ne videatur sedes errasse. At mihi omnes istas præstigias depellit (&, ut puto, depelleret, etiamsi Rabinus essem) unica vox Pauli uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim domini declarabit, quia in igne revelabitur, & unius cujusque opus quale sit, ignis probabit, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem sal-

vus erit, ſic tamen quaſi PER IGNEM (judicii divini, & conſpectus Dei omniumque ſanctorum) Dominus enim veniens illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus (ad omnem cœtum Electorum, & ſic etiam vituperium, ſi opus arſerit) unicuique à Deo.

